BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M 5

E. 2.

12 E

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12.3.38

DE ORIGINE ERRORIS

SEU

DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES

L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

LIBER II.

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, cIↄ. Iↄcc. LVI.

EX TYPOGRAPHIA ANGELI ROTILII

In Ædibus De Maximis

SUPERIORUM PERMISSU.

M SOC IESU * BIBL SEC COL

In nullo aberrare; ſeu in omnibus irreprehenſibilem, ſeu inemendabilem eſſe, divinæ utique ſolius, non autem mortalis eſt conſtantiæ, ſeu roboris; quemadmodum & a majoribus dictum eſt.

Juſtinian. Imp. in L. III. ſ. XIII. C. de Vet. Jur. Enucl.

Emo, ac Rmo Principi

JO: FRANCISCO
CARDINALI
ALBANO

POLONIARUM REGNI, AC NATIONIS, COLLEGIIQUE PICENI PROTECTORI PRÆSTANTISSIMO

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E. SALUTEM PLURIMAM DICIT.

SEcundus iſte Divinarum Inſtitutionum liber, quem Lactantius Firmianus DE ORIGINE ERRORIS inſcripſit, & ego complurium eruditorum virorum meditationibus, ac caſtigatinnibus meis illuſtrare, & ad

ad faciliorem lectionem redigere, ſum conatus, ſub inſigni tutela, ac præclariſſimi TUI NOMINIS auſpicio in lucem publicam prodire geſtio, PRINCEPS EMINENTISSIME; qui quum Piceni in Urbe Collegii, ac Provinciæ totius Protector adſis, vigilantia, & ſollicitudine præſtantiſſimus, ſi eum tuendum Tibi aſſumis, videris id tuo quodammodo jure vindicare. Picens enim Lactantius in patriam, veluti poſtliminio redux, Tuo tanto dignior eſt præſidio, quanto magis gentili quiſque ſuo, potiuſquam extraneis opitulari officioſa pietate conſtringitur.

His

His & illud addi debet, quod ipſum ſatis ſpendidum S. Salvatoris in Lauro ædificium, a Latino Urſino, olim totius Picenæ Provinciæ perpetuo Legato, conſtructum, Decius Cardinalis Azzolinus junior, & ipſe Firmo-Picenus, a Clemente IX Nationi ſuæ impetravit, ſuoque conſilio, & opera ibidem Eccleſiam, & Collegium S. Mariæ Lauretanæ titulo decoratam, tanquam in ampliorem, ac ſplendidiorem ſedem, prudentiſſime tranſtulit, ut in eo bonarum artium ſtudiis Picena juventus imbueretur, atque viri doctrina, & pietate conſpicui ejuſdem Collegii alu-

mnni provida evaderent diſci-
plina -

Nihil propterea congruentius erat, quam, Te iſtius Collegii Patrono, ingenuis adoleſcentibus Picenus daretur præceptor morum Lactantius, qui ad inſtituendos illorum animos ſemper aptiſſimus viſus eſt; in hocce præſertim libro, in quo errorum fontes deteguntur, unde humanæ mentis, diſciplinarumque omnium corruptela manavit. In eo ſiquidem non modo diſcere poterunt malorum deflendorum originem; verum etiam facile, ac cum delectatione percipient, qua via ab illorum laqueis ſe expe-

pedire valeant, ſi forte in illis ſe aliquando noverint irretitos.

Verum quidem eſt, & ſilentio minime prætereundum, in hoc ipſo volumine, quo alios ab errore liberare voluit Lactantius, ipſum deprehenſum eſſe in aliquo errore verſatum; ſed hoc idem noſſe, non leve erit lectoribus emolumentum: inde quippe percipient, bonos etiam aliquando dormitaſſe ſcriptores, & nævis quibuſdam fuiſſe inſperſos; ut ſic nec animum deſpondeant, ſi quandoque errare contingat, nec corrigi renuant, si imprudentia labantur.

Unum tamen erit in hoc ope-

re reprehenſioni obnoxium : illud nempe, quod meum eſt; quum plane fatendum ſit, nihil a me, quod Egregio viro dignum eſſe queat, expectari poſſe, quodque Tuis præſertim oculis contrectari mereatur. At ecquod unquam adeo expolitum, perfectumque opus, non a me quidem, ſed a quovis alio diligentiſſime elucubratum, eruditioni, ac ſapientiæ Tuæ par eſſe aliquando poterit, quum mentis perſpicacia incredibili pollentem Te jam diu mirari neceſſe fuerit? Vix pueritæ terminos prætergreſſus interdum ſoluta, ſæpe numeris vincta oratione, Te mirabili

rabili decore, ac facundia loquentem, pergratum, atque jucundum erat audire. Memini equidem, quibus de Te in prima adoleſcentia coram lectiſſimo virorum, dignitate, ac doctrina præclariſſimorum conſeſſu, rationem de ſtudiis Tuis cum philoſophicis, tum theologicis ſemel, & iterum reddente, omnium vocibus perſonabant aures, & non ſine magna adſtantium lætitia egregiæ indolis ſpecimina vultu, geſtu, voce, oculis, Te mirum in modum oſtendiſſe recordor. Eorum plurima, quæ tunc futura præcantabantur, jam fauſte, feliciter, proſpereque vidimus

eſſe

eſſe completa: Nonnulla vero adhuc ſupereſſe adimplenda, & non fruſtra eventura, ſperamus.

Incongruum ſane eſſet, & profecto virtuti Tuæ moleſtum foret, ea nunc recenſere: immo & ſupervacaneum, atque affectatum videri poſſet; quum de iis inveterata jampridem, obfirmataque ſit in cordatorum hominum mentibus opinio. Quamobrem quamquam in eorum numero ego ſum, qui probe norunt, maximique faciunt Tuam ingenii magnitudinem, ſcientiæ claritatem, ſapientiæ eminentiam, conſilii gravitatem, virtutum ſplendorem, di-

gni-

gnitatis faſtigium , cæteraſque illas animi dotes , quæ & nobiliſſimæ ſtirpis , & mentis Tuæ celſitudinem mirifice exornant; non tamen verear, ne hoc grati cordis mei officium Tibi eo non probem nomine, quo me non habere digniora, quæ offeram, nullus ignorat, nunc maxime, quum nefas eſſe videtur, diutius differre, quod jamdudum debitum erat exhiberi, publicum nimirum meæ erga Te, Cardinalis Amplissimæ, pietatis, & obſervantiæ monumentum, quo & quanta Tibi debeam profiterer palam, & quanta mihi in Te ſit fiducia mea, manifeſtarem. Facies itaque,

PRIN-

PRINCEPS EMINENTISSIME, quod tua clementia dignum eſt, ſi ita, ut omnes ad Te confugientes, ſic me, & Lactantium meum tuendum ſuſcipias: illudque Tibi perſuadeas, me nihil aliud hoc officii genere præſtare voluiſſe, niſi quod Tuæ erga me benevolentiæ rationem expoſtulare exiſtimavi, atque hoc magis, & multo majoribus votis expetere, ut diu felix vivas, & ad grandia natus, ea in dies, ſemper favente Numine, perfectiſſime compleas.

Dabam Romæ ex Collegio S. Mariæ de Victoria a. d. Kal. Auguſt. MDCCLVI.

Fr.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S JOSEPH *Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Bm̃e Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sacri Montis Prior,*

TEnore præſentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Franciſco Xaverio Sacerdoti Profeſſo Provinciæ Noſtræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum notis, & Diſſertationibus ſuis a duobus e noſtris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joſeph
Præpoſitus Generalis.
Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

DIvinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Caelio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatos, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos: quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno, animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, atteatèque inſpexi, nihilque quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur, a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro in ſcripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quod in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſue ulla aſſentationis umbra me dixiſſe, memini, idipſum repetere, ac confirmare in hacce præſenti jure debebam. Sic ſentiebam

bam ex Aedibus S. Patris Franciſci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ ſalutis ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio ſupra milleſimum.

F. Franciſcus Antonius a Colle-Longo Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ S. P. Franciſci Sac. Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor.

APPROBATIO OPERIS.

QUod auctoritate Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, ſcilicet, diligentia perlegens, Commentaria, & Diſſertationes, quæ in ſingula Lactantii Firmiani opera elaboravit vir eruditione præſtans Pater Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio excalceatus Carmelita. In his, magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, ſcribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inſpexi; neque quidpiam, ullibi, obſervare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honeſtiſque moribus repugnaret: quare ſi, publici juris fiant arbitror plurimam inde, legentibus utilitatem provenire poſſe. Romæ ex Monaſterio S. Agnetis extra Muros Urbis die IV. Aprilis anni 1753.

D. Thomas Rita Præſes, & L. Emeritus.

APPROBATIO OPERIS.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæteriſque Dotibus, quæ Authorum ſcripta commendent, abunde coruſcant Commentaria, & Diſſertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio elu-

elucubravit, & non vulgari com ſui Nominis Gloria editurus eſt. Qnapropter quum jubente Reverendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adverſetur, invenerim, Typis vulganda cenſeo. Romæ ipſis Kal. Apr.i. Anni 1753.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ
Cuſtos Generalis.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Ord. Prædicatorum.

L. C Æ L I I
L A C T A N T I I
F I R M I A N I

Divinarum inſtitutionum adverſus gentes

L I B E R S E C U N D U S.

D E O R I G I N E E R R O R I S.

C A P U T I.

i.

QUamquam primo libro religiones deorum falſas monſtraverim, [a] quod ii, quorum varios, diſſimileſque cultus per univerſam terram conſenſus hominum ſtulta perſuaſione ſuſcepit, mortales fuerint, functique vita [b], divinæ neceſſitati [c] morte con-

a *Quamquam ... falſas monſtraverim* : Al. *falſas eſſe* &c. Laurentius Valla *lib.* II. *elegant. Cap.* xxi. de

hiſce

ceſſerunt : tamen ne qua dubitatio relinquatur, hic ſecundus liber [d] fontem ipſum patefaciet errorum, cauſſaſque omnes explicabit [e], quibus decepti homines, & primitus deos eſſe crediderint [f] : & poſtmodum perſuaſione inveterata [g] in ſuſceptis praviſſime religionibus perſeveraverint. [h]

Con-

hiſce particulis loquens : ETSI & QUAMQUAM : *ſemper*, inquit, *adſciſcunt indicativum dumtaxat in principio ſtatim orationum, Epiſtolarum, Librorum . . . Lactantius tamen L. II. Div. Inſt. ſic incipit: Quamquam* &c. Bangius vero L. II. *Obſerv. Philolog.* pag. 1258. oſtendit initio quoque cum conjunctivo adhiberi poſſe : Quod equidem approbo ; ſi tamen, ut heic, de actione agatur, quæ jam perfecte completa ſit ; non vero ſi adhuc pendeat, ut in principio libri *de Opificio Dei*, ad quem locum lectorem meum delego.

b *Functique vitam*. Al. *vita*. Bene utroque modo dicitur, quamvis ablativo frequentius jungatur. Heum. hæc verba habet pro gloſſemate. Bunem: idem hanc phraſim valere heic putat, ac *poſtquam vixerunt* : alias vero uſurpari pro *fungi morte*, ſeu *mori* ; uti antea docuerat Papinianus in L. *Filius familias* ff. *de Caſtr. Pecul.* Valla L. V. Cap. V. Eleg. *Fungor. vita* : exponit : *Fungor officio vitæ* : *Defunctus morte* : I. E. mortem finivit. V. Gronov. ad Senecæ Medeam A. V. pag. 529. Burm. ad Ovid. Tom. I. pag. 823.

c *Divinæ neceſſitati*. Intellige : *Voluntati efficaci* : ut diximus ad Cap. XVII. ſeg. 7. de *Opif. Dei*. Neceſſe eſt enim rem quamlibet talem eſſe, qualem Deus eam conſtituit.

d *Hic ſecundus liber*. Schottus ex Cæſaraug. M. C. *Is ſecundus* &c.

Ex-

e *Explicabit*. Al. *exemplificabit* prave.
f *Crediderint*. Al. *crediderunt* -
g *Perſuaſione inveterata*. Al. *inveterata perſuaſione*.
h *Perſeveraverint* &c. Sic Schottus, & Aldus. Al. *perſeveraverunt*. Al. *crediderant*.

2.

Geſtio enim [a], Conſtantine Imperator, convictis inanibus [b], & hominum impia vanitate detecta [c], ſingularis Dei adſerere [d] majeſtatem, ſuſcipiens utilius, & majus officium, revocandi [e] homines a pravis itineribus, & in gratiam ſecum ipſos ducendi, ne ſe (ut quidam philoſophi faciunt [f]) tantopere deſpiciant, neve ſe infirmos, & ſupervacuos, & fruſtra omnino [g] natos putent. Quæ opinio pleroſque ad vitia compellit.

 Nam

a *Conſtantine Imperator*, Abſunt hæc verba a Bononienſi Cod. & ab aliis quibuſdam Mss. Adſunt tamen in pleriſque optimæ notæ, ex quibus ea deprompſimus. Vide diſſ. x. qua ratione id a nobis factum ſit.

b *Convictis inanibus* Al. *convictis Manibus* ſcilicet *Gentilium Diis*: Nonnulli explicant; ſed nihil immutandum cenſeo, nam per vocem *inanibus* & Deos, & Philoſophos, & Poetas, Genteſque omnes, vanis religionibus implicatas, de quibus L. I. locutus fuerat Author, optime heic intelligimus fuiſſe convictas. Vide Johan. Clerc. Art. Crit. P. III. Sect. I. c. 4. Ubi oſtendit, quam facile ſit *in* pro *m* in Mss. tranſire. Heum. addit marte ſuo *Diis*. Bunem. lectionem noſtram appro-

probat, quamvis pro iis, qui *Manibus* legunt, teſtimonia afferat. Vide Epitom. cap. xxv. Seg. 9. *ſpretis inanibus*.

c *Vanitate detecta*. Al. *dejecta* forte melius.

d *Aaſerere*. Al. *aſſerere*.

e *Suſcipiens utilius, ac majus officium revocandi*. Al. *ſuſpiciens*. Al. *ſuſpicans*. Al. poſt *Tò officium* addunt *ſcilicet*. Reſpicit heic Lactantius ad id, quod dixerat L. 1. Cap. 1. ſeg. 8. ſecundum Heum., & Bunem. Mihi tamen innuere potius videtur, utilius, & majus officium eſſe, quo homines revocantur a pravis itineribus, quam eorum vanitatem detegere, qui ridicula, & impia Deorum facinora confinxere.

f *Ut quidam Philoſophi faciunt*. Bon. *filoſofi* de Epicureis hæc ſunt intelligenda, qui nulli Deo nos eſſe curæ docebant; nec quicquam futurorum bonorum ſperabant, aut malorum timebant.

g *Supervacuos, & fruſtra*. Al. addunt *& nihili* Al. *aut nihil*, quam vocem etiam Aldus delevit.

3.

Nam quum exiſtimant nulli Deo [a] eſſe nos curæ [b], aut poſt mortem nihil nos eſſe futuros, totos ſe libidinibus addicunt: & dum licere [c] ſibi putant, hauriendis voluptatibus ſitienter incumbunt [d], per quas imprudenter [e] in laqueos mortis incurrunt. Ignorant enim, quæ ſit hominis ratio.

Quam

a *Nam quum nulli Deo*. Al. *dum nulli* &c. Heum. *Tò nulli* jungendum eſſe *curæ*, non *Deo* obſervat.

b *Eſſe nos curæ*. Al. *nos eſſe curæ*.

Et

c *Et dum licere*. Al. *dicere*.

d *Hauriendis voluptatibus ſitienter incumbunt*. Al. *ſitientes*. Al. *ſcientes*; ſed male, nam *ſitienter* adverbium eſt Ciceroni in Tuſculanis uſitatum, & idem valet, ac *ardenter*: ſumma elegantia heic adhibitum ad exprimendum inſanum perditorum hominum ſemper flagrans deſiderium terrenarum voluptatum, quæ illud ſatiare nequeunt. Hydropicis ab Ovidio appoſite comparantur Faſtor. l. 1. a ℣. 6. pag. 434.

Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

e *Per quas imprudenter*. Al. *imprudentes*.

4.

Quam ſi tenere vellent, in primis Dominum ſuum [a] agnoſcerent, virtutem, juſtitiamque ſequerentur, terrenis figmentis [b] animas ſuas non ſubſternerent [c], mortiferas libidinum voluptates [d] non adpeterent [e]: denique ſeipſos magni æſtimarent [f], atque intelligerent [g], plus eſſe in homine, quam videtur: cujus vim conditionemque [h] non aliter poſſe retineri [i], niſi cultum veri parentis ſui, depoſita pravitate, ſuſceperint.

 Equi-

a *Dominum ſuum*. Sic Schottus Al. *Deum ſuum*. Harum vocum variatio paſſim in Lactanct.i operibus occurrit.

b *Terrenis figmentis*. Bon. *terris* forte pro *terreis*.

c *Subſternerent*. Al. *ſuſtinerent* ſed peſſime: loquitur enim Lactan. de Idololatris, & Polytheis, qui ſe

ſe fictitiis Numinibus proſternebant.

d *Libidinum voluptas*. Iſæus *libidinorum*. Al. *libidinum ſuavitates*.

e *Non adpeteret*. Al. *appeterent*.

f *Magni æſtimarent*. Bon. *eſtimarent* Aldus *exiſtimarent*.

g *Atque intelligerent*. Bon. *intellegerent*; ſic fere ſemper.

h *Conditionemque*. Bon. *condicionemque*.

i *Retineri*. Bon *retinere*. Aldus *poſſent retinere* ex Ms. C. Longobardico. Al. *poſſint*.

5.

Equidem, ſicut oportet, de ſumma rerum ſæpenumero cogitans, admirari ſoleo majeſtatem Dei ſingularis, quæ continet, regitque omnia, in tantam veniſſe oblivionem, ut quæ ſola debet coli [a], ſola potiſſimum negligatur [b]: homines autem ipſos ad tantam cæcitatem eſſe deductos: ut vero, ac vivo Deo mortuos præferant [c], terrenos autem, ſepultoſque [d] in terra ei præponant, qui fundator ipſius terræ fuit.

a *Debet coli*. Al. *coli debet*.

b *Negligatur*. Bon. *neglegatur*.

c *Mortuos præferant*. Al. *anteferant*.

d *Sepultoſque in terra*. Al. *in terra que ſepultos*. Al. vero *Tò in terra* non habent.

6.

Et tamen huic impietati [a] hominum poſſet venia concedi, ſi omnino ab ignorantia divini

ni nominis *b* veniret hic error. Quum vero ipſos deorum cultores ſæpe videamus Deum ſummum & confiteri, & prædicare, quam ſibi veniam *c* ſperare poſſunt *d* impietatis ſuæ, qui non agnoſcunt *e* cultum ejus, quem prorſus ignorari ab homine fas non eſt *f*.

---

a *Et tamen huic impietati*. Bon. *inpietati*.

b *Ab ignorantia divini nominis*. Heum. contra Mss. editorumque fidem legit *divini Numinis*.

c *Quam ſibi veniam*. Bon. *cum ſibi veniam*.

d *Sperare poſſunt*. Bon. *poſſint*.

e *Qui non agnoſcunt*. Bon. *adgnoſcunt*.

f *Quem prorſus ignorari ab homine fas non eſt*. Sapientiſſimum eſſe hocce effatum, negabit nemo, cui notum ſit, Deum invincibiliter, ut ajunt Theologi, ignorari ab hominibus non poſſe: Ideoque Tertullianus ait Apolog. c. VII. *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*.

7.

Nam & quum jurant *a*, & quum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut deos multos, ſed Deum nominant: adeo veritas ipſa *b*, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus *c* erumpit. Quod quidem non faciunt in proſperis rebus.

---

a *Nam & quum jurant*. Heum. heic *Recito*, inquit, *formulas hujus generis Germanicas*, quæ ſic latine ſonant: *Deus ſcit hoc eſſe verum*. *Deus adjuvet*. *Deus det hoc*. *Deo ſit laus*. &c. *Proverbiales hæ ſunt formulæ*,

læ, ante natæ, quam naſceretur idololatria, ac quod tritis ſermone proverbiis accidere ſolet, a poſteris, licet plures Deos colentes, retentæ. Frivola hac reſponſione etiam Atheiſmi fautores, eodem argumento preſſi, utuntur. Sed fruſtra, ut demonſtravimus diſſ. XXVII. adverſus Atheos.

b *Veritas ipſa*. Al. *ipſa veritas*.

c *Ab invitis pectoribus*. Al. *ab invictis pectoribus*: Al. *invitis peccatoribus*. Noſtra lectio omnino retinenda eſt ex lib. III. cap. XIV. Seg. 21. *Confeſſio pene invito, tibi ab imo pectore expreſſa eſt*.

8.

Nam [a] tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, quum beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ debent [b].

a *Nam tum*. Schottus: *Nam cum*.

b *Divinæ indulgentiæ debent*. Al. *debeant*. Al. *deberent*.

9.

At vero ſi qua neceſſitas gravis preſſit [a], tunc Deum recordantur: ſi belli terror infremuit [b], ſi morborum peſtifera vis incubuit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegavit, ſi ſæva tempeſtas, ſi grando ingravat: ad Deum confugitur, a Deo petitur auxilium, Deus, ut ſubveniat, oratur.

Si

a *At vero ſi neceſſitas gravis præſſit*. Al. *pervenerit*. Al. *impreſſerit*. Aldus nobiſcum legit etiam in ſequentibus.

b *Si belli terror infremuit . . . . incubuit . . . . denegavit . . . ingravat . . . . confugitur.* Al. *infremuerit . . . incubuerit . . . denegaverit . . . . ingruerit . . . confugiunt. Ingravo* non ſolum valet *gravem reddere*, ſed etiam *corrumpere*, & *graviter afficere*, quod proprium eſt grandinis teſte Plinio L. xix. c. 8. *Poſtea iiſdem fructibus utuntur, ſi non ſævitia hyemis ingravat, quando impatientiſſimum eſt frigorum.* Ideo retinui lectionem noſtri Codicis Bon.

10.

Si quis in mari vento ſæviente [a] jactatur, hunc invocat: ſi quis aliqua vi afflictatur [b], hunc potius implorat [c]: ſi quis ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precibus expoſcit, Deum ſolum obteſtatur, & per ejus divinum, atque unicum nomen [d] hominum ſibi miſericordiam quærit.

a *Vento ſæviente*. Bon *ſaeveniente*.

b *Si quis aliqua vi afflictatur*. Bon. *adflictatur*. Iſæus *inafflictatur*.

c *Hunc potius implorant*. Sic Schottus Bon. *implorat*. Al. *hunc protinus &c.*

d *Atque unicum nomen*. Sic Schottus, & Aldus. Heum. *Numen*, ſed male, nam vis Lactantiani argumenti in eo ſita eſt, quod ii homines in diſcriminibus conſtituti non *Deos* invocant; ſed *Deum*, quo nomine ſummum rerum omnium opificem, ac rectorem intelligunt, & per ejus nomen ſibi miſericordiam quærunt.

11.

Nunquam igitur Dei meminerunt, niſi dum

in

in malis ſunt *a*. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt, tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt *b*. His libant, his ſacrificant, hos coronant. *c* Deo

a *Niſi dum in malis ſunt*. Hinc Severus Sulpicius Hiſt. Sacr. L. 1. cap. 24. de Hebræis idololatris. *Ita ſemper*, inquit, *in ſecundis rebus, immemores Cæleſtium beneficiorum, idolis ſupplicabant; in adverſis Deo*.

b *Poſt quam metus deſeruit*: Schottus: *deſeruerunt*. Heum. *deſæviit*.

c *Hos coronant*. In antiquis numiſmatibus, in æreis, lapideis, pictiſque Deorum imaginibus caput eorum paſſim nobis ſeſe offert coronis diverſi generis redimitum. *Antiquitas* enim, ut ait Plinius L. XVI. c. 4. *Nulla corona, niſi Deo dabatur. Ob id Homerus Cælo tantum eas, & Prælio univerſo tribuit. Viritim vero ne in certamine quidem ulli. Ferunt primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo ex edera* coronam: alii coronarum inventionem apud Athen. L. XV. tribuunt Jano, qui forte apud Italos idem fuit. Lib. XXI. cap. III. idem Plinius *coronæ*, inquit, *Deorum honos erat, & Larium publicorum, privatorumque ſepulchrorum, & manium*. Mythographi obſervant diverſas fuiſſe hujuſmodi coronas; nam Bacco Ederaceam, ſeu pampineam, Minervæ Oleaceam, Mirteam Veneri, Lauream Apollini, Populeam Herculi, Spiceam Cereri, Fœneam Vertumno, ex frugum omnium genere Pomonæ, Harundineam fluminibus, Quernam Jovi, Pineam Cybeli necti conſueverunt. Apud Recentiores militibus, ducibuſque prœmia fuerunt coronæ triumphales, obſidionales, civicæ, murales, caſtrenſes, navales. Item Regibus, Imperatoribuſque tributæ ex auro, gemmiſque ornatæ, inter quos illa prior fuit, quæ

quæ Arcæ fœderis imponi juſſit Deus Exodi xxv. v. 11. *facieſque ſupra coronam auream per circuitum*. Gemmatas vero ante Conſtantinum Magnum non reperio.

§. 12.

Deo autem, quem in ipſa neceſſitate imploraverant, [a] ne verbo quidem gratias agunt: adeo ex rerum proſperitate, luxuria, [b] ex luxuria vero, ut vitia omnia [c], ſic impietas adverſus Deum naſcitur.

a *Inploraverant*, Bon. *imploraverunt*. M. *imploraverunt*.

b *Ut vitia omnia* Bon. *Tò ut* non habet, quam particulam delet etiam Schottus.

c *Sic impietas*. Bon. *inpietas*.

§. 13.

Quanam iſtud [a] ex cauſſa fieri putemus? niſi eſſe aliquam perverſam poteſtatem, [b] quæ veritati [c] ſit ſemper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat, cui unicum, [d] ac perpetuum [e] ſit opus offundere tenebras [e] & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne denique in cælum aſpiciant, ac naturam corporis ſui ſervent, cujus originem [f] ſuo loco narrabimus; nunc fallacias arguamus. Nam

a *Quanam iſtud*. Bon. *iſtut*.

b *Aliquam perverſam Poteſtatem*. Poteſtas vocabulum eſt plurima ſignificans; heic vero uſurpatur ad ſignificandum Diabolum, cui Deus aliquando permittit ma-

mala pœnæ hominibus afferre, ac mala culpæ ſuadere. Sua vero ſponte, & arbitrio, etſi Deo, & hominibus ſit infenſiſſimus hoſtis, nihil tale cauſare poteſt Deo nolente. Quibuſdam ex malignis Spiritibus Poteſtatis nomen propriun aliquando fuit ſui ordinis, utpote qui ante lapſum conſtituti erant in tertio ordine ſecundæ Hierarchiæ, in quo Angeli ſunt, qui Poteſtates dicuntur, & Dæmonum coercent conatus. Ad Coloſſen. I. v. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Troni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates.*

c *Quæ veritati* Al. *veritatis.* Sic Aldus, & Schottus, quamquam ille retineat particulam *ſemper*, quam iſte delendam eſſe indicat.

d *Unicum* Al. cum Schotto *Unum.*

e *Perpetuum* Bon. *perpetum.*

f *Offundere tenebras.* Al. *effundere.*

g *In Cælum.* Sic ſemper in noſtro Mſ. C. Quod alibi etiam obſervavimus. Vide Diſſ. I., & II. ubi de Familia Cælia, ex qua fuit Lactantius, luculenter egimus.

h *Cujus originem ... arguamus.* Hæc verba deſunt a quibuſdam tam Mſ., quam editis exemplaribus; & forte ablata ſunt ob ea, quæ infra obſervabimus. Aldus nobiſcum legit.

14.

Nam quum ceteræ animantes [a] pronis corporibus in humum ſpectent, [b] quia rationem, ac ſa-

---

a *Nam quum ceteræ animantes.* Al. *Cæteræ* Schottus *Cæteri* ubi Betulejus ait: Sic etiam emendatiores quædam editiones contra prærancidas Grammaticorum leges habent. Sed obſerva, vocem hanc raro maſculini gene-

ſapientiam non acceperunt, [c] nobis autem ſtatus rectus, ſublimis vultus ab Artifice datus ſit: [d] apparet, [e] iſtas religiones Deorum non eſſe rationis humanæ, qui curvant cœleſte animal [f] ad veneranda terrena.

---

neris reperiri aqud bonos; ſed paſſim fœm., aut neutr.

b *In humum ſpectent.* Bon. *expectent.* Quam fortaſſe retinuiſſem, niſi me prohibuiſſet Cicero, quum ait Epiſt. L. xiii. ad Plancum: *Expectare te arbitror, hæc tam longe repetita principia, quo ſpectent.* & L. 11. de Nat. Deor. *Nam quum ceteras,* inquit *animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit ad Cœli, quaſi cognationes, & domicilii priſtini, conſpectum excitavit:* ad quem locum reſpexiſſe Lactantius tam ex dictis, quam ex iis, quæ ſequuntur, manifeſte videtur.

c *Qui rationem, ac ſapientiam non acceperunt:* Notanda hæc verba ſunt ab his, qui Lactanctium Brutis rationem dediſſe aſſeruerunt.

d *Ab Arifice datus* Al. *ab artifice Deo.*

e *Apparet* Bon. *aperit.*

f *Cœleſte Animal.* Homo nimirum ad Cælum inhabitandum a Deo creatus.

15.

Parens enim noſter ille unus & ſolus, quum fingeret hominem, id eſt, animal intelligens, [a] & rationis capax [b], eum vero ex humo ſublevavit, & ad contemplationem ſui artificis erexit, quod optime ingenioſus poeta ſignavit:

Pro-

---

a *Animal intelligens* Bon. *intellegens*. Idem homo, cui datus eſt intellectus, quo cæteræ carent animantes.

b *Eum vero* Al. *Enim vero.* Aldus nobiſcum legit.

Pronaque [a] *quum ſpectent animalia cætera terram.*
Os homini ſublime dedit, cælumq. videre
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

a Pronaque *quum ſpectent* Bon. *expectent.* Ovid. Met. L. 1- 84.

16.

Hinc utique [a] ἄνθρωπον Græci appellarunt, quod ſurſum ſpectet. Ipſi ergo ſibi renunciant, ſeque hominum nomine abdicant, qui non ſurſum aſpiciunt, ſed deorſum. Niſi forte idipſum, quod recti ſumus, ſine cauſſa homini adtributum putant.

Spe-

a *Hinc utique ἄνθρωπον Græci appellarunt*. Quamvis alii aliunde etymon hocce deducunt apud Goldaſt. *Cent. Epiſt. philolog. p.* 49. optime tamen plurimi putant hominem ſic appellatum, quod ſurſum verſam habeat faciem, non quidem ab ἄνω, & θρέω ſeu θρέων, ut perperam Walchius, & alii apud Bunem. Sed ab ἄνω ἀθρῶν ὄπι, quod eſt: *ſurſum ſpectare vultu.* Hanc ſententiam ſæpe noſter inculcat, ut diximus ad L. de *Opif.* Dei cap. VIII. ſeg. 3. Sed præſertim eam explanat L. III. cap. XXIV. ſeg. 13. & L. VII. Cap. V. ſeg. 6. Errant propterea Betulejus, Walchius, & alii, qui ad L. III. cap. IX. ſeg. 4. etymologiæ hujus Græcæ vocis rationem, cum hominis officio confundunt; & quidem inique Lactantium reprehendunt, qui clariſſime hoc exponit.

17.

Spectare nos Cælum Deus voluit, utique non fruſtra; nam & aves,[a] & ex mutis pene omnia Cælum vident: ſed nobis proprie datum eſt, Cælum rigidis, ac ſtantibus intueri, ut religionem ibi quæramus, ut Deum, cujus ſedes illa eſt,[b] quoniam oculis non poſſumus, animo contemplemur. Quod profecto non facit, qui æs, [c] aut lapidem, quæ ſunt terrena, veneratur.

Eſt

---

a *Nam & aves, & ex mutis pene omnia Cælum vident.* Heum *exterminanda ſunt*, inquit *hæc verba, ne Lactantius ſibi contrarius reperiatur Cap.* IX. al X. *ubi ait* PECUDES NEQUE IN CAELUM SUSPICIUNT. Non intelligit tamen Authoris noſtri mentem, quam nos explicabimus Cap. X. ſeg. 26. ſeq.

b *Illa ſedes eſt, quoniam* Al. *illa eſt ſedes, quem* Aldus, & Schottus nobiſcum legunt.

c *Qui æs, aut lapidem..... veneratur.* Bon. *qui es &c.* Quamvis locus iſte clariſſimus eſt, & Paganos, Ethnicoſque perſtringat, qui manufacta Idola, tamquam Cæleſtes Deos venerabantur; nec animo Deum verum, & omnino incorporeum contemplari ſciebant; Gallæus nihilominus, delirans potius, quam ratione utens: *Hæc verba*, inquit, *a Papiſtis idololatris obſervari velim, qui ipſi fatentur, ſe Duliæ cultum imaginibus deferre; ſed de his ſequenti capite fuſius.* Optime pro *fuſius*, *furioſius* dixiſſet. Vide omnino diſſ. XXVII., & XXXV. ubi luculenter de Idololatria agimus, & hujuſmodi Hæreticorum calumnias ab Eccleſia Sancta quam longiſſime diſpellimus.

18.

Eſt autem praviſſimum, quum ratio corporis recta ſit, quod eſt temporale: ipſum vero animum, quum ſit æternus [a] humilem fieri: quum figura & ſtatus nihil aliud ſignificent[b], niſi mentem hominis eo ſpectare opportere, quo vultus; & animum tam rectum eſſe debere, quam corpus, ut id, cui dominari debet, [c] imitetur.

---

a *Ipſum vero animum, quum ſit æternus* Schottus: *qui eſt æternus.* Heum: Tò *vero* tolli jubet, ſed contra Ms. fidem. Adverbium hocce heic nota eſt indignantis, ut bene notat Donatus ad Terentii *Eunuc.* A. V. ſ. 3. *Move vero ocius te*: *Vero poſuit pro interjectione ſtomachantis*, & ſic ſæpe Cicero, ut obſervavit heic Bunem. Pro. *Quum ſit*: Al. legunt *Qui eſt*: Bon. habet *quum ſit*.

b *Nihil aliud ſignificet.* Bon. *nihil aliut &c.*

c *Ut id, cui dominari debet.* Al. *ne id, cui dominari &c.* Heum. tamquam ineptum gloſſema hæc verba delenda eſſe putavit, ſed perperam; nam ſenſus eſt: *Animum hominis debere rectum eſſe, ſicuti rectum eſt ejus corpus, cui Animus debet dominari.* Vide infra Cap. XIII. Seg. 10. & ſeq.

19.

Verum homines & nominis ſui, [a] & rationis obliti, oculos ſuos ab alto deiciunt, ſoloque de-

---

a *Et nominis ſui*, ſcilicet ἄνθρωπον, de quo ſupra ſeg. 16. & Epit. C. XXV. ſeg. 9.

deſigunt, ac timent[b] opera digitorum ſuorum, quaſi quicquam eſſe poſſit artifice ſuo majus[c].

b *Ac timent*. Al. *atque timent*.

c *Quaſi vero quicquam eſſe poſſit artifice ſuo majus*. Al. *Tò vero* non habent; ſed omnino retinendum eſt cum Schotto, aliiſque, qui ex Mss. lectionem noſtram confirmarunt. Ex hac periocha totum pendet argumentum, quo Lactantius recte aggreditur Idololatras, eoſque conficit; minime tamen Catholicos tangit, ut contra Gallæum l. c. demonſtramus.

C A P. I I.

I.

QUæ igitur amentia eſt, aut ea fingere, quæ ipſi poſtmodum timeant: [a] aut timere, quæ finxerint? *Non ipſa*, inquiunt, [b] *timemus*, *ſed eos ad quorum imaginem fa-*

a *Aut timere, quæ finxerunt?* Bon: *fincſerunt*: Ad initium hujus capitis notat Bunem., quod in exemplari quodam editionis Roſtoch. an. MCCCCLXXVI. quum rubricator non inveniret primam literam Q. impreſſam, appoſuit ejus loco A. ita ut legeretur in eo apud Wolfium: *Ave igitur amentia* pro: *Quæ igitur amentia* &c. Lepido errore amanuenſis librarii utor, ut Lectores meos moneam, ſæpe in Mss. hujuſmodi errores offendi, de quibus vide quæ diximus Diſſ. XXXVIII.

b *Non ipſa, inquiunt*: Scilicet inter Idololatras nonnulli, de quibus vide Diſſ. XXVII. C. II. §. V. Ut reſpondeas Va-

facta, [c] *& quorum nominibus conſecrata ſunt*. Nempe ideo timetis, quod eos in Cælo eſſe arbitramini: [d] neque enim ſi Dii ſunt, aliter fieri poteſt.

Vadiano, Betuleio, aliiſque Eterodoxis, qui in nos hæc intorquere per calumniam contendunt, non intelligentes id, in quo Lactantiani argumenti vis ſita eſt adverſus hanc Ethnicorum exceptionem, qui ex ſequentibus convincuntur.

c *Facta*: Al. *Ficta*: Forte melius.

d *In Cælo eſſe arbitramini*. Al. *Eſſe in Cælo* &c.

2.

Cur igitur [a] oculos non in Cœlum tollitis, & advocatis eorum nominibus in aperto ſacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna & lapides potiſſimum, quam illo ſpectatis [b] ubi eos eſſe creditis [c]? Quid ſibi templa

---

a *Cur igitur oculos non in Cælum tollitis; & advocatis eorum nominibus*. Al. *In Cælum non tollitis? & advocatis deorum nominibus &c.* Schottus ex Cæſaraug. Cod. nobiſcum legit. *Advocatis* heic ſtat pro *advocatis in ſubſidium*: quod eſt *Advocatos adſciſcere*: Non autem pro *invocare* ex Varrone apud Auguſt. L. IV. cap. XXII. de C. D. *Ex eo poterimus ſcire, quem, cujuſque rei cauſſa Deum advocare, atque invocare debeamus*. Vide heic Bunem.

b *Potiſſimum, quam illo ſpectatis*: Bon. potiſſimum quam *illos petatis*. Sine ſenſu. Al. *potius quam*. Quod mallem cum Bunem: niſi ſic omnes legerent, ut ha-

pla? quid aræ volunt; quid denique ipſa ſimulacra; quæ aut mortuorum, aut abſentium monimenta ſunt?

B 2 Nam

habet noſter Cod. Eſt autem Lactantius ſingularis in uſu harum particularum *potius potiſſimum* de priori ad 1. 6. 12. 12. de poſteriori 1. 2. 3. 17. *quos dicas potiſſimum ſtultiores*: &c. Bun.

c *Quid ſibi Templa? Quid Aræ volunt? Quid denique ipſa ſimulacra?* Satis erudite heic Iſæus cauſſam Catholicorum adverſus hæreticos noſtri temporis agit; ſed non plene Lactantii, Minutii Felicis, atque Arnobii mentem penetravit, ubi templa, aras, & imagines improbare videntur: Quare Gallæus occaſione accepta non Iſæum ſolummodo, ſed Romanam Eccleſiam exagitare ſatagit, & ſimul propugnare Waldenſes, Huſſitas, Witclephiſtas, alioſque ſectarios, cum quibus, & cum S. Auguſtino l. XXII. de C. D. c. x. ſe de primis Chriſtianorum Templis aſſerere, & pronunciare profitetur. *Chriſtianorum morum illum non fuiſſe Martyribus Templa erigere Aras dedicare*. Utinam cum laudato S. Doctore ſentire ipſe voluiſſet, & hodie vellent Romanæ Eccleſiæ adverſarii; jam nos inter, & eos finita eſſet omnis ex hiſce capitibus orta controverſia, uti in Diſſertat. noſtris XXVII., & XXXV. oſtendimus, ad quos lectorem noſtrum ablegamus. Heic vero obſerva, Lactantium nihil aliud velle, niſi Ethnicos interrogare, quid Templa, Aræ, & Simulacra Deorum ſignificent? ut eos ex propria confeſſione vehementius arguat. Sic Cicero Verrina II. 277 c. I. *Quid ergo illæ ſibi ſtatuæ equeſtres inauratæ volunt, quæ Populi Rom. oculos animoſque maxime oſtendunt propter ædem Vulcani?*

3.

Nam omnium fingendarum ſimilitudinum ratio [a] idcirco ab hominibus inventa eſt, ut poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerant ſeparati.

a *Fingendarum ſimilitudinum ratio*. Bon. *fingendorum*.

4.

Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum: quis tam ſtultus, ut colat? Si in abſentium: colendi ergo non ſunt, ſi nec vident quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. [a]

a *Quæ precamur*. Bon. *præcamur*.

5.

Si autem Dii abſentes eſſe non poſſunt, qui quoniam divini ſunt, in quacumque parte mundi [a] fuerint, vident, & audiunt univerſa: ſupervacua ſunt ergo [b] ſimulachra, illis ubique præſentibus, cum ſatis ſit, audientium [c] nomina precibus advocare.

At

a *In quacumque parte mundi*. Bon. *in quacumque mundi parte*.
b *Supervacua ſunt ergo*. Al. *ſupervacua ergo ſunt*.
c *Audentium nomina precibus advocare*. Bon. *audientibus nomina precibus advocare*.

6.

At enim præſentes nonniſi ad imagines ſuâs adſunt. [a] Ita plane, quemadmodum vulgus exiſtimat [b] mortuorum animas circa tumulos, & corporum ſuorum reliquias oberrare.

a *At enim præſentes non niſi ad imagines ſuas adſunt.* Idem intellige de Aris, & Templis; eodem enim argumento hæc omnia complectitur Lactantius, & *præſentes adeſſe* Deos idem heic valet, ac *præſentes eſſe*, quemadmodum apud Ciceron. *pro Domo ſua ad Pontif. Adeſt præſens vir ſingulari virtute.* Quamvis & *propitios eſſe* aliquando ſignificare poſſit, ut *Servius* ad Virgil. L. 1. Georg. v. x.

. . . . . *Et vos agreſtium præſentia Numina* . . . . .

expoſuit: *id eſt propitia.* Et ad IX. v. 404.

Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori.

b *Quemadmodum vulgus exiſtimat m. a. c. tumulos . . . . oberrare.* Al. *abberrare.* Sic Gentes putaſſe, non ſolum donec ſepulturæ mandarentur mortuorum cadavera, ut heic annotavit Langletius; ſed etiam poſtquam ibidem diu jacuerant, patet ex Macrobio L. 1. *in Somn. Scipion.* c. IX. præcipue ſi è vita; violenta morte, exceſſiſſent, ut cap. XIII. ait. *Exitu autem coacto animam circa corpus magis vinciri. Et re vera ideo ſic extortæ animæ diu circa corpus, ejuſve ſepulturam, vel locum, in quo injecta manus eſt pervagatur.*

7.

Sed tamen [a] poſtquam Deus ille præſto eſſe

 coe-

a *Sed tamen.* Bon. *ſet tamen.*

vi

cœpit, jam ſimulachro ejus opus non eſt. Quæro enim, ſi quis imaginem hominis peregre conſtituti contempletur ſæpius, ut ex ea [b] ſolatium capiat [c] abſentis: num idem ſanus eſſe videatur: ſi eo reverſo, [d] atque præſente, in contemplanda imagine [e] perſeveret, eaque potius, quam ipſius hominis aſpectu, frui velit?

b *Ut ex ea*. Al. *&* *ex ea* male.
c *Solatium capiat*. Bon. *ſolacium*.
d *Si eo reverſo*. De hoc verbo certarunt, inquit Bunem., inter ſe Cellarius, & Borrichius, neque ulli occurrit inſignis locus Nepotis in Temiſto: v. 2. *reverſus eſt*. Adde Tacitum, qui ſæpe eo utitur in *Orator.* præſertim *Cap.* 36. & *Hiſt.* L. 1. *Cap.* 77.
e *In contemplanda imagine*. Bon. *in contemplandam imaginem*.

8.

Minime profecto. Etenim [a] hominis imago neceſſaria tum videtur, quum procul abeſt: ſupervacua futura, [b] quum præſto eſt. Dei

a *Etenim*, Bon. *Et tamen*. Sic etiam Schottus ex Cæſarauguſt., & Aldus ex utroq. Codd.
b *Supervacua futura quum præſto eſt*. *Ergo* ex Lactantii ſententia Jeſu Chriſti D. N. & Sanctorum ejus nobis imagines neceſſariæ ſunt, nam ij a nobis abſunt, niſi cum Ubiquiſtis inſipienter aliquis dicat, etiam Chriſtum Deum, & hominem ubique eſſe. Noverunt hujus argumenti vim Remonſtrantium non-

Dei autem, cujus ſpiritus, ac numen ubiq. diffuſum, c abeſſe nunquam poteſt, ſemper utique imago ſupervacua eſt. d

B 4 Sed

---

nonulli; & idcirco dixere, in primitiva Eccleſia, Chriſti, Deiparæ Virginis; Sanctorumque Apoſtolorum, ac S. Johannis Baptiſtæ; nec non Prophetarum, & Angelorum imaginum uſum obtinuiſſe; non autem cultum; quibus non ſine ſtomacho quosdam ex noſtris ſubſcripſiſſe in publicis concertationibus audivimus; contra quos tamen operoſe egimus Diſſert. xxxv.

c *Cujus Numen, ac ſpiritus ubique diffuſus*. Al. *cujus ſpiritus, ac numen ubique diffuſum*.

* Vide Gert. n. 16.

d *Semper utique imago ſupervacua eſt*. Scilicet, ut Deus præſens fiat. Reſpicit enim ad id, quod ſuperius ſeg. 6. dixerat: & idcirco animadvertendum eſt, aliud eſſe, imaginem Dei *utcunque* ſemper ſupervacuam eſſe: aliud ſupervacuam ſemper eſſe ad hoc præciſe, ut per imaginem ſuam; & in ea præſens adſit. Illud primum nuſquam Lactantius docuit; ſecundum vero ſolido demonſtat argumento. Et quidem ex veteri diſciplina admodum raræ fuerunt apud Chriſtianos Dei imagines; & Symbola, quoniam fideles, charitate divina flagrantes, nihil præter Deum præ mentis oculis habeant; & poſtmodum ſymbolicis quibuſdam figuris contenti erant. Sed primæva illa frigente charitate, & fide palam a perſecutoribus non amplius vexata, non ſolum ſymbolicis figuris eum adumbrare conſueverunt, verum etiam eum in illis imaginibus coluerunt, ſub quibus e Sacris Scripturis ſciebant, ſe conſpicuum, & adorandum Prophetis, ac Pa-

Patriarchis tribuiſſe. Vide Diſſ. xxxv. In Bon. Codice *Tò imago* deeſt, ſicut etiam in Cæſaraugustano, teſte Schotto.

9.

Sed verentur, ne omnis illorum [a] religio inanis ſit, & vana, [b] ſi nihil in præſenti videant, quod adorent: & ideo ſimulachra conſtituunt, quæ quia mortuorum ſunt imagines, ſimilia ſunt mortuis, [c] omni enim ſenſu carent.

a *Ne omnis illorum religio*. Al. *eorum religio*.
b *Et vana*. Al. *vacua*.
c *Similia ſunt mortuis*. Al. *ſimilia mortuis ſunt*.

10.

Dei autem in æternum viventis vivum, & ſenſibile debet eſſe ſimulachrum, quod ſi a ſimilitudine id nomen accepit: qui poſſunt iſta [a] ſimulachra Deo ſimilia judicari, quæ nihil ſentiunt [b], nec moventur? Itaque ſimulachrum Dei non illud eſt [c], quod digitis hominis ex lapide, aut ære aliave materia fabricatur, ſed ipſe homo [d]: quoniam & ſentit,

a *Qui poſſunt*. Al. *quomodo poſſunt*. Nempe eodem ſenſu.
b *Quæ nihil ſentiunt*. Al. *nec ſentiunt*.
c *Non illud eſt*. Bon. *illut*.
d *Sed ipſe homo*. Quia nimirum factus eſſe dicitur

tit, & movetur, & multas, magnaſque rationes habet.[e]

tur ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Geneſ. 1. v. 27.

e *Magnaſque rationes habet.* Sic Aldus: Al. *actiones.*

11.

Nec intelligunt[a] homines ineptiſſimi, quod ſi ſimulachra Deorum ſentirent[b], & moveri poſſent, ultrò adoratura hominem fuiſſent[c], a quo ſunt expolita: quæ eſſent aut incultus, & horridus lapis, aut materia informis, ac rudis[d], niſi fuiſſent ab homine formata.

a *Nec intelligunt.* Bon. *nec intellegunt.*

b *Quod ſi ſimulacra Deorum ſentirent.* Al. *ſentire ſimulachra, & moveri poſſent:* Aldus nobiſcum legit.

c *Ultro adoratura hominem fuiſſent, a quo.* Al. *homines f. a quibus.* Aldus nobiſcum legit.

d *Informis, ac rudis.* Al. *& rudis.* ſic Aldus,

12.

Homo igitur illorum quaſi parens putandus eſt, per cujus manus nata ſunt, per quem ſpeciem, figuram[a], pulchritudinem, habere cœperunt.

Et

a *Per quem figuram, ſpeciem, pulchritudinem.* Al. *per quem ſpeciem, figuram &c.*

13.

Et ideo melior, qui fecit, quam illa quæ facta ſunt[a]. Et tamen factorem ipſum nemo ſuſpicit, aut veneratur[b]: quæ fecit autem timent[c], tanquam plus poſſit eſſe in opere, quam in opifice.

a *Et ideo melior qui fecit, quam illa, quæ facta ſunt*. Al. *& ideo melior eſt &c.* En aſſumptum ad quod demonſtrandum hactenus diſputavit Lactantius. Schott. nobiſcum legit.

b *Aut veneratur*. Sic Aldus Al. *veretur*.

c *Quæ fecit autem, timent*. Al. *quæ fecit timet*. ſupple, *quæ homo fecit, Ethnici timent.*

14.

Recte igitur[a] Seneca in libris moralib. *Simulacra, inquit, deorum venerantur[b], illis ſupplicant genu poſito, illa adorant, illis per totum adſident diem[c], aut aſtant, illis ſtipem jaciunt, victimas cædunt, & cum hæc tantopere ſuſpiciant[d], fabros, qui illa fecere, contemnunt.*

a *Seneca in libris moralibus*. Forte de Philoſophia morali agentes libri erant, qui jamdiu periere.

b *Veneratur*. Bon. *veneramur*.

c *Adſident diem*. Al. *aſſident*.

d *Tantopere ſuſpiciant*. Schottus *ſuſcipiant*.

15.

Quid hic inter ſe[a] tam contrarium, quam ſta-

a *Quid hic inter ſe*. Al. *quid inter ſe*.

Et

ſtatuarium deſpicere, ſtatuam adorare, & eum ne in convictum quidem[b] *admittere, qui tibi Deos faciat?* Quam ergo vim, quam poteſtatem habere poſſunt, cum ipſe, qui fecit illa, non habeat? Sed ne hæc quidem dare his potuit[c], quæ habebat, videre, audire, loqui, moveri.

b *Et eum ne in convictum quidem admittere*. Hinc obſerva tempore Lactantii Artifices ſtatuarum in honore non fuiſſe, ſed potius viles habitos; ideoque nil mirum, ſi Conſtantini Magni, ſuorumque filiorum imagines, barbara manu fictas ita poſteris exhibuerunt, ut honor ipſe, *Qui meritiſſimo Principi ab imperitis delatus eſt, haberi poſſit pro injuria majeſtatis*. ut bene obſervavit Petrus Firmianus *Sac. Gen. Diſſ.* 1.

c *Dare his potuit.* Al. *iis potuit.*

16.

Quiſquam ne igitur tam ineptus eſt[a], ut putet aliquid eſſe in ſimulachro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam eſt præter umbram? Sed hæc nemo conſiderat, infecti ſunt enim perſuaſione: ac mentes eorum poenitus fucum ſtultitiæ perviderunt[b].

Ado-

a *Tam ineptus eſt.* Bon. *tamen ineptus eſt.*

b *Fucum ſtultitiæ perviderunt*. Al. *Succum ſtultitiæ perbiberunt*. Quam lectionem, ut exponerent Lactantii Scholiaſtes, mira dixerunt; noſtra vero obvia eſt, & talis, ut de ea dici poſſit cum Tullio, ſententiam continere *ſine pigmentis, fucoque puerili*. Fucus

cus enim pro colore, & medicamine ad ſimplices decipiendos, & vitia occultanda, ut plurimum uſurpatur. Unde idem Cicero ad Att. libr. 1. p. 1. *Prenſat*, ait, *unus P. Galba ſine fuco, ac fallaciis, more majorum*. Fucum itaque quod ſtultitia induxerat, perviderunt Ethnici, & veritate poſthabita, ab eo ſunt decepti.

17.

Adorant ergo inſenſibilia, qui ſentiunt; irrationabilia [a] qui ſapiunt, exanimata qui vivunt [b], terrena qui oriuntur e cœlo.

a *Irrationabilia*. Bon. *inrationabilia*.
b *Exanimata, qui vivunt*. Al. *exanima*. Schottus ex Cæſaraug. *exanimia*. *Exanimis*, & *exanimatus* æque latine dicitur Lucret. VI. v. 1249.

Exanimis pueri ſuper exanimata parentum
Corpora non numquam &c.

Verum in Antiquiſſimo Taurinenſi Cod. Epit. XXV. ſeg. 15. habetur *exanima*.

18.

Juvat igitur [a] velut in aliqua ſublimi ſpecula [b] conſtitutum, unde univerſi exaudire poſſint Perſianum illud proclamare:

O cur-

a *Juvat igitur*. Sic nobiſcum Schottus. Al. *ergo*.
b *Sublimi ſpecula*. Bon. *Spectacula*: forte legendum eſt *Spectaculo*, nam Livio, Suetonio, & Ovidio *Spectaculum* etiam locus dicitur, unde ſpectatur.

In

O curvæ in terris [c] animæ, & cœleſtium inanes.
Cælum potius intuemini: ad cujus ſpectaculum vos excitavit ille artifex [d] veſter Deus.

---

c *In terris*. Sic habet & Perſius, ideoque minime corrigendus, ut perperam putavit Bunem., qui cum aliis legit *in terras* Al. addunt verſum antecedentem, quo meliores Codd. carent. Quæ ſequuntur uſque ad finem Capituli in Bon. Cod. minori charactere ſcripta ſunt, ideoque nos lineis diſtinximus.

d *Ille artiſex veſter, Deus*. Sic etiam Schottus Al. *ille artifex, verus Deus*. Sic Aldus.

19.

Ille vobis ſublimes [a] vultus dedit: vos in terram curvamini: vos altas mentes, & ad parentem ſuum [b] cum corporibus ſuis erectas, ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quatrupedes eſſe natos.

---

a *Sublimes vultus*. Al. *Sublimem vultum*. Hæc eſt lectio, quam ſecutus eſt Aldus.

b *Et ad parentem ſuum*. Schot. ſic. Al. *ad patrem*. Aldus nobiſcum legit.

20.

Fas non eſt, cæleſte animal cum terrenis, in terramque vergentibus coæquari [a]: quid vos

---

a *In terramque vergentibus coæqrari*. Sic etiam Schottus, & Aldus. Al. *In terra verſari*. Aldus Al. *Converſari*.

Be-

vos beneficiis cæleſtibus orbatis [b] *, proniqueue in humum veſtra ſponte procumbitis? Humi enim miſeri volutamini, quum deorſum quæritis, quod in ſublimi quærere debuiſtis.*

b *Beneficiis Cæleſtibus orbati*, Aldus *orbatis*.

21.

Nam iſta mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud ſunt, niſi terra, ex qua nata ſunt!

22.

Quid ergo rebus inferioribus ſubjacetis? quid capitibus veſtris terram ſuperponitis? Cum enim vos terræ ſubmittitis, humilioreſque facitis: ipſi vos ultro ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis: quia nihil eſt inferius & humilius terra [a] *niſi mors & inferi.*

a *Quia nihil eſt inferius, & humilius terra*. Al. quia nihil *terra inf., & hum.*

23.

Quæ ſi effugere velletis [a] *ſubjectam pedibus veſtris terram contemneretis, corporis ſtatu ſalvo: quod iccircò rectum accepiſtis, ut ocu-*

a *Velletis . . . contemneretis*. Sic omnes præter Iſæum

oculos atque mentem[b] *cum eo, qui fecit; conferre poſſetis*[c].

Iſæum, qui habet *Vellitis... contemneritis*. Typographi tamen oſcitantis error cenſendus eſt.

b *Ut oculos atque mentem*. Bon. *adque mentem*. Al. *quo oculos*. Cap. VII. de Ira Dei ſeg. 5. *confert cum Deo vultum* de Opif. Dei Cap. VIII. ſeg. 3. *Hominis.... vultus Deo patri communis*. Idem hæc omnia, & ſimilia apud Lactantium ſignificant, ut l. c. expoſuimus.

c *Conferre poſſitis*. Sic Aldus Al. *poſſetis*.

24.

Contemnere autem, & calcare terram, nihil alud eſt[a] *quam ſimulachra non adorare, quia de terra ficta ſunt: item divitias non concupiſcere, voluptates corporis ſpernere: quia opes, & corpus ipſum, cujus hoſpitio utimur, terra eſt. Vivum colite, ut vivatis, moriatur enim neceſſe eſt, qui ſe ſuamque animam mortuis adjudicavit*[b].

a *Nihil alud aliud*. Bon. *aliut*.

b *Mortuis adjudicavit*. Al. *adjudicabit*.

CAP. III.

1.

SEd quid prodeſt ad vulgus, & ad homines imperitos[a] hoc modo concionari? cum

a *Imperitos*. Bon. *inperitos*.

cum videamus etiam doctos, ac prudentes viros [b], quum religionum intelligant [c] vanitatem, nihilominus tamen in iis [d] ipſis, quæ damnant, colendis, neſcio, qua pravitate perſtare?

b *Doctos, ac prudentes viros*. Al. *Doctos, & c.*
c *Intelligant*. Bon. *Intellegant* & ſic ſemper, quod heic dixiſſe ſufficiat.
d *Tamen in iis*. Hæc verba deſunt in Bon.

2.

Intelligebat Cicero falſa eſſe, quæ homines adorarent. Nam quum multa dixiſſet, quæ ad everſionem religionum valerent; ait tamen [a]: *non eſſe illa vulgo diſputanda, ne ſuſceptas publicè religiones diſputatio talis extinguat*.

a *Ait tamen*. Verba, quæ ſequuntur, Ciceronis non ſunt; ſententiam tamen ejuſdem continent, quæ non ſemel in libris *de Nat. Deorum* occurrit.

3.

Quid de eo facies [a], qui, quum errare ſe ſen-

a *Quid de eo facies*. Al. *Quid ei facies.* Nihil muto: Nam etſi Lactantius alibi caſum dandi appoſuerit, & præcipue l. iii. c. 18., ut quidam legunt; ibidem tamen, uti heic, noſter codex legit Seg. 18. *quid de Cicerone faciemus?*

Im-

ſentiat, ultro ipſe in lapides impingat b, ut populus omnis offendat? ipſe ſibi oculos eruat, ut omnes cæci ſunt? qui nec de aliis bene mereatur, quos patitur errare: nec de ſeipſo, qui alienis accedit erroribus? nec utitur tandem ſapientiæ ſuæ bono, ut factis impleat, quod mente percepit: ſed prudens, & ſciens pedem laqueo inſerit, ut ſimul cum ceteris c, quos liberare ut prudentior debuit, & ipſe capiatur?

b *Impingat*. Bon. *inpingat*.

c *Ceteris*. Sic ſemper ſine diphthongo.

4.

Quin potius ſi quid tibi Cicero virtutis eſt, experire, populum facere ſapientem. Digna res eſt, ubi omnes eloquentiæ tuæ vires exeras a. Non enim verendum eſt, ne te in tam bona cauſſa deficiat oratio, qui ſæpe etiam malas copiosè b, ac fortiter defendiſti.

a *Exeras*. Bon. *exſeras*.

b *Qui ſæpe etiam malas copioſe, ac fortiter defendiſti*. Una ex iis Cauſſis illa fuiſſe videtur M. Cælii, in qua vere M. Tullii eloquentia vires ſuas in extenuandis vitæ illecebroſæ criminibus tam feliciter adhibuit, & judicum animos adeo commovit, ut diſcernere nequeam, eos devicerit ne, an ſopierit.

5.

Sed nimirum Socratis carcerem a times, ideo-

a *Socratis Carcerem times*. Sæpe miratus ſum, La-

ideoque patrocinium veritatis ſuſcipere non audes. At mortem, ut ſapiens contemnere debuiſti. Et erat multo pulchrius [b], ut ob bene potius dicta [c], quam ob maledicta [d] morte morereris. Nec plus tibi laudis [e] Philippicæ [f] afferre [g] potuerunt, quam diſcuſſus error

---

Lactantium Socratis hactenus nuſquam mentionem feciſſe, quum non ſemel eum laudandi occaſio ſibi præſto eſſet; ſed id non ſine cauſſa a ſummo Oratore putandum eſt, eſſe factum; quam fuiſſe reor, quia Lactantii tempore Socraticæ ſectæ jam nulla erat apud Ethnicos exiſtimatio, quum is, Deos colere noluiſſe diceretur, & ob hocce crimen, ſibi a Melito, Meliti filio Pitthenſi impactum, Carcerem, & mortem ab Athenienſibus ſubire juſſus ſit. Idem fortaſſe timuit Cicero, ne ſibi fieret a Romanis, ſi, quemadmodum optime intelligebat, falſam eſſe religionem Deorum, adverſus eam eloquentiæ ſuæ palam adhibuiſſet virtutem illam pene inſuperabilem.

b *Et erat multo pulchrius*. Al. *Et erat quidem*. Al. *erat quidem*. Nobiſcum legit Aldus.

c *Ut ob bene dicta potius*. Sic Aldus Al. *Ut ob bene potius dicta*.

d *Morte morereris*. Al. *Tò morte* non habent. *Letho mori; morte occumbere, & interire* apud Latinos eleganter uſurpatum invenimus.

e *Nec plus tibi laudis*. Al. *Nec tibi laudis plus*.

f *Philippicæ*. Langletius. *Novem, ait, in M. Antonium Cicero ſcripſerat invectivas, quibus ad imitationem Demoſthenis Philippicarum titulum fecit. Atque hæ orationes in cauſſa fuerunt, cur ab Auguſto Anto-*

ror generis humani [h], & mentes hominum ad ſanitatem tua diſputatione [i] revocatæ.

tonius mortem Ciceronis exoravit. Sed in eo fallitur, quod novem fuiſſe dicat, quum XIV. adhuc ſuperſint ſub hoc titulo Ciceronis orationes, quarum poſtremam habuit pridie Vinalia, id eſt x. Kal. Maii C. Vibio Panſa, & Hirtio Coſſ., in qua ſupplicationem dierum quinquaginta Triumvirorum nomine, Panſæ, ſcilicet, Hirtii, & Cæſaris ob Antonium ſuperatum decernit. In prælio cæſos laudat, ſuoſque conſolatur.

g *Afferre*. Bon. *adferre*,

h *Generis humani*. Al. *humani generis*.

i *Tua diſputatione*. Bon. *tuam depoſitione*.

6.

Sed concedamus timiditati, quæ in ſapiente eſſe non debet. Quid ergo ipſe in eodem verſaris errore? Video te terrena, & manufacta venerari. Vana eſſe intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt [a] hi, quos ipſe ſtultiſſimos confiteris.

a *Quæ faciunt hi*. Bon. *quæ faciunt hii*, Al. *ipſi* Aldus *etiam ii*,

7.

Quid igitur profuit, vidiſſe te veritatem, quam nec defenſurus eſſes, nec ſecuturus? Sed ſi libenter errant ii [a], qui errare ſe ſentiunt: quanto magis vulgus indoctum? quod

 pom-

a *Errant ii*. Bon. *errant hii*. Al. *errant etiam ii*.

Spe-

pompis inanibus gaudet, animiſque puerilibus ſpectat [b] omnia, oblectatur frivolis [c], & ſpecie ſimulachrorum capitur, nec ponderare ſecum unamquanque rem poteſt, ut intelligat, nihil colendum eſſe, quod oculis mortalibus cernitur, quia mortale ſit neceſſe eſt [d].

b *Spectat*. Bon. *expectat*: ſolita horum verborum permutatione.

c *Frivolis*. Bon. *fribolis*.

d *Quia mortale ſit, neceſſe eſt*. Al. *quia neceſſe eſt mortale ſit*.

8.

Nec mirandum eſt [a], ſi Deum non videant, quum ipſi ne hominem quidem videant, quē videre ſe credunt [b]. Hoc enim, quod oculis ſubjectum eſt, non homo, ſed hominis receptaculum eſt [c]: cujus qualitas, & figura non

a *Nec mirandum eſt*. Aldus. *Mirandum eſſe*.

b *Credunt*. Bon. *credant*.

c *Non homo, ſed hominis receptaculum*. Gallæus, & qui eum de more exſcribit Langletius, dicunt heic: *Platonem ſequitur Lactantius: Plato ſiquidem in Alcibiade, hominis eſſentiam poſuit in anima intellectiva. Attamen corpus non eſt tantum inſtrumentum; verum eſt de eſſentia ipſius hominis, qui duabus conſtant partibus, corpore ſcilicet, atque anima intellectiva. Lactantius denominationem ſumit a priori, & digniori parte, anima enim eſt potiſſima pars hominis*

non ex lineamentis vaſculi, quo continetur, ſed ex factis, ac moribus pervidetur.

---

minis, & ex illa elucent hominis dignitates. Plura habes apud Iſæum; cave tamen ne cum iis Lactantium noſtrum arguas erroris; ſed potius verborum ſenſum expende: Hominis quippe receptaculum id vocat heic Author, quod oculis ſubjectum eſt; ſcilicet exſtrema ſuperficies, & lineamenta externa, quæ prima corporis cute terminatur, nec ad eſſentiam hominis pertinent; ſed vix partes ſunt integrales. Vide diſſ. xxv. c. vii. §. vi.

9.

Qui ergo colunt ſimulachra, corpora[a] ſunt hominibus carentia; quia ſe corporalibus dederunt[b], nec vident plus aliquid mente, quam corpore: quum ſit animi officium, ea ſubtilius cernere, quæ acies corporalis non poteſt intueri.

---

a *Corpora ſunt hominibus carentia*. Sic Aldus. Al. *animabus carentia*. Hinc ſe confirmare poſſe putat Iſæus, Lactantium mentem & animam ſolumodo pro vero homine habuiſſe. Sed fallitur; nam homo, qui corpore, & anima conſtat, per illud videt, per hanc judicat, ideoque argute Lactantius ait, corpora hominibus carentia ea eſſe, quæ nihil mente magis, quam corpore vident, tamquam ſi animam intellectu præditam non haberent, & proinde homines non eſſent. Propterea ſtatim ſubdit. *Quia ſe corporalibus dederunt, nec vident plus aliquid mente, quam corpore, quum ſit animi officium ea ſubtilius cernere, quæ acies corporalis non poteſt intueri*.

b *Corporalibus dederunt*. Aldus *dediderunt*.

10.

Quos homines idem ille philoſophus, ac poeta graviter accuſat, tanquam humiles, & abjectos, qui contra naturæ ſuæ rationem ad veneranda ſe terrena [a] proſternant, ait enim:

Et faciunt animos humiles formidine
Divum,
Depreſſoſque premunt ad terram [b].

Aliud quidem ille, cum [c] hoc diceret, ſentiebat, nihil utique colendum [d] eſſe, ſi Dii humana non curent [e].

---

a *Ad veneranda ſe terrena proſternunt*. Al. *ſe proſternunt*.

b DEPRESSOSQUE PREMUNT &c. ſic legundum ut quantitas conſtet, non ut Bon. habet. *Depreſſoſque depræmunt*; aut ut Al. *depreſſiſque præmunt*.

c *Quam hoc diceret*. Aldus *quum hæc*.

d *Nihil utique colendum eſſe*. Al. *eſſe colendum*.

e *Quoniam*. Al. *quia*.

11.

Denique alio loco religiones [a], & cultus Deorum inane eſſe officium confitetur:

Nec pietas ulla eſt, vulgatum ſæpe [b] *videri*
Ver-

---

a *Religiones, & cultus Deorum*. Al. *religionem Deorum, & cultus*.

b . . . . VULGATUM SÆPE VIDERI
VERTERE SE AD LAPIDEM. Sic ex noſtro Cod. re-

Vertere ſe ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.
Et procumbere [c] *humi proſtratum: & pandere palmas*
Ante delubra Deûm [d]*: nec aras ſanguine multo*
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

Quæ profectò ſi caſſa ſunt: non oportet ſublimes, & excelſos animos avocari [e], atque in terram premi, ſed nihil aliud, quam cœleſtia cogitare.

reſtituimus, ubi Al. legebant. *Velatum ſæpe videri vertier ad lapidem* &c. vulgatum lapidem; intellige ſimulacra Deorum, ad quæ ignarum vulgus adire conſueverat. Aldus nobiſcum legit *vulgatum*.

c Et procumbi. Al. *Nec procumſi*.

d Ante delubra Deum, nec. Al. *Ante Deum delubra neque*. Sed male, nam prima in *delubra* brevis eſt. Sicuti etiam prima in *neque*.

e *Sublimes, & excelſos animos avocari*. Al. *advocari*. Sed peſſime. Nam ſenſus eſt, non debere averti a contemplatione Cæleſtium, rerumque ſupernarum animam ſublimem, & excelſam. Schottus *ſublimes Deos cæleſtes, & excelſos animos* legit ex Cæſaraug. Cod.

12.

Impugnatæ ſunt [a] ergo a prudentioribus

 fal-

a *Impugnatæ*. Al. *Inpugnatæ*.

Quia

falſæ religiones, quas ſentiebant eſſe falſas: ſed non eſt inducta vera, quia qualis, aut ubi eſſet ignorabant [b].

b *Quia qualis, aut ubi eſſet ignorabant*. Non tamen ſine culpa; nam ſi operam, quam navabant, ad naturæ vires perſcrutandas, ad veram religionem inveſtigandam contuliſſent, apud Hebræos primnm, & poſtmodum apud Chriſtianos reperiſſent divina opitulante gratia.

13.

Itaque ſic habuerunt, tanquam nulla eſſet omnino [a], quia veram non poterant invenire: & eo modo [b] inciderunt in errorem multo majorem, quam illi, qui falſam tenebant.

a *Tamquam nulla eſſet omnino*. Philoſophorum plurimi, & præſertim Epicurei, qui quum vanitatem cognoſcerent illarum religionum, quæ fabulis, & hominum inventis innitebantur, nihil ultra inquirentes, nullam Religionem veram, neceſſariamque eſſe, pejori errore dixerunt. Nonne poſt Sæcula idem contigit iisdem Epicuri placitis, ac omnium philoſophorum dogmatibus ab Orco revocatis? Vide noſtram Iſagog. ad l. de Opif. Dei. Schottus pro *tamquam* habet *qnaſi*.

b *Et eo modo*. Sic Aldus. Al. *Et eodem modo*.

14.

Nam iſti [a] fragilium cultores, quamvit ſins

a *Nam iſti* Sic Aldus. Al. *Nam & iſti*.

Ali-

ſint inepti, quia cœleſtia conſtituunt in rebus corruptilibus, atque terrenis: aliquid tamen ſapientiæ retinent [b], & habere veniam poſſunt: quia ſummum hominis officium etſi non re ipſa, tamen propoſito tenent. Siquidem hominum [c], atque mutorum vel ſolum vel certe maximum in religione diſcrimen eſt.

---

b *Aliquid tamen ſapientiæ retinent*. Bon. *Aliquit*. Ideo Atheorum peccatum Polytheorum majus eſt, quia illi Deum, & religionem negant, cultumque debitum ſummæ poteſtati non reddunt; iſti autem, etſi Deum verum non venerentur, fatentur tamen ſummum aliquod eſſe numen veneratione dignum, a quo homines, & creata omnia dependeant. Unde ſequitur *& habere veniam poſſunt* ſcilicet reſipiſcendo *quia ſummum hominis officium, etſi non re ipſa, tamen propoſito tenent*.

c *Siquidem hominum, atque mutorum, vel ſolum, vel certe maximum in religione diſcrimen eſt*. Alibi *clarius*, inquit Iſæus, *ſuam affert ſententiam, brutis videlicet ineſſe rationem, & ſola religione ab hominibus, non ratione, aut ſermone differre*. Quod tamen falſum eſt, ut nos ad cap. i. ſeg. 14. annotavimus, & ſuo loco dicturi ſumus, Diſſ. xxv. Heic autem quum propoſitio diſjunctiva ſit, & vera in quantum aſſerit, maximum homines inter, & muta animalia diſcrimen in religione ſitum eſſe, non eſt cur diutius immoremur.

15.

Hi verò quanto fuerunt ſapientiores, quod intellexerunt falſæ religionis errorem: tanto

to ſunt facti ſtultiores *a*, quod eſſe aliquam veram non putaverunt.

a *Tanto ſunt facti ſtultiores*. Al. *facti ſunt*.

16.

Itaque quoniam facilius eſt, de alienis judicare, quam de ſuis: dum aliorum præcipitium vident *a*, non proſpexerunt, quid ante ſuos pedes eſſet *b*:

a *Aliorum præcipitium vident*. Schot. *viderent* ex Cæſaraug. Cod.
b *Ante ſuos pedes eſſet*. Iſæus *eſſent*.

17.

In utraque igitur parte & ſumma ſtultitia invenitur, & odor quidam ſapientiæ *a*: ut poſſis dubitare, quos dicas potiſſimum ſtultiores *b*, illoſne, qui falſam religionem ſuſcipiunt, an eos, qui nullam.

Sed

a *Et odor quidam ſapientiæ*. Scilicet indicium. Sic l. II. cap. XII. 26. *odore quodam veritatis*.
b *Potiſſimum ſtultiores*. Vallæ hoc ſuperlativum, ſic uſurpatum, non placuit, & mallet legere *potius*. Sed Deſpauterius Lactantium vindicat, & merito; nam inter duo compartiva, de quibus diſputatur, in eo potiſſimum reperitur plena, ſeu pleniſſima ratio per vocabulum ſignificata, quod alteri præcellit, ut ipſe Valla l. I. Eleg. c. 13. profeſſus eſt. Vide ſuperius. l. II. c. II. ſeg. 2.

18.

Sed (ut dixi) venia concedi poteſt [a] imperitis [b], & qui ſe ſapientes eſſe non fatentur [c]: his verò non poteſt, qui ſapientiam profeſſi, ſtultitiam potius exhibent.

a *Poteſt*. Al. *poſſet*. Sic Schottus ex Cæſaraug. Cod., & Aldus ex utroque.
b *Imperitis*. Bon. *Inperitis*.
c *Et qui ſe ſapientes non eſſe fatentur*. Aldus. *Sapientes non eſſe fatebantur*. Al. *fateantur*.

19.

Non ſum equidem tam iniquus, ut eos putem divinare debuiſſe [a], ut veritatem per ſe ipſos invenirent (quod fieri ego non poſſe confiteor [b]) ſed hoc ab his exigo, quod ratione ipſa præſtare potuerunt.

a *Divinare debuiſſe*. Al. *potuiſſe*.
b *Ut veritatem per ſe ipſos invenirent, quod fieri ego non poſſe confiteor*. Al. *confitebor*. Contra Pelagium, ac ſemipelagianos hoc dictum eſſe, notandum eſt; nam de veritate ſupernaturali, & revelata loquitur.

20.

Facerent enim prudentius, ſi & intelligerent eſſe aliquam veram religionem [a] & falſis

a *Veram religionem*. Hiſce vocibus caret codex Bon. Ex Thomaſio tamen retinui utramque, *quia*, u il

ſis impugnatis [b], apertè pronuntiarent, eam quæ vera eſſet ab hominibus non teneri. Sed moverit eos [c] fortaſſe illud; quod ſi qua eſſet vera religio [d], exereret ſe, ac vindicaret; nec pateretur eſſe aliud quicquam.

ille ait: *etſi veram religionem ignorarent Ethnici*, *tamen aliquam religionem eſſe veram intelligere potuerunt*. *Ad hoc enim demonſtrandum longa deinceps oratione utitur Lactantius*. Quamvis plurimi ſint Codd. Mss. qui *Tò veram* non habent; teſte etiam Schotto, & Aldo.

b *Falſis impugnatis*. Bon. de more, *inpugnatis*.

c *Sed moverit eos*. Sic nobiſcum meliores. Iſæus. *movit*.

d *Eſſet vera religio*. Al. *vera eſſet religio*.

21.

Videre enim nullo modo poterant, quare, aut a quo, & quemadmodum religio vera opprimeretur: quod eſt divini ſacramenti, & cæleſtis arcani. Id vero niſi doceatur, aliquis ſcire nullo pacto poteſt:

22.

Summa rei hæc eſt: Imperiti, & inſipientes falſas religiones pro veris habent, quia neque veram ſciunt, neque falſam intelligunt. Prudentiores [a] autem, quia veram ne-

a *Prudentiores autem*. Al. *prudentiores vero*. Schottus ex ſuo cod. nobiſcum legit. Atheiſmi fontem heic obſerva.

neſciunt, aut in iis, quas falſas eſſe intelligunt, perſeverant, ut aliquid tenere videantur: aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem: cum idipſum maximi ſit erroris, vitam pecudum ſub figura hominis imitari.

23.

Falſum vero intelligere, eſt quidem ſapientiæ ſed humanæ. Ultra hunc gradum procedi ab homine non poteſt. Itaque multi philoſophorum religiones (ut docui) ſuſtulerunt. Verum autem ſcire, divìnæ eſt ſapientiæ. Homo autem per ſe ipſum pervenire ad hanc ſcientiam non poteſt, niſi doceatur a Deo.

24.

Ita Philoſophi, quod ſummum fuit humanæ ſapientiæ, aſſecuti ſunt, ut intelligerent, quid non ſit: illud aſſequi nequiverunt, ut dicerent, quid ſit. Nota Ciceronis vox eſt: *Utinam tam facilè vera invenire poſſem, quam falſa convincere.*

25.

Quod quia vires humanæ conditionis excedit: ejus officii facultas nobis eſt attributa [a], quibus tradidit Deus ſcientiam veritatis

a *Nobis attributa eſt*. Bon. *atributa*. Al. *eſt attributa*.

tis: cui explicandæ quatuor poſteriores libri ſervient. Nunc interim falſa, ut cœpimus, detegamus.

CAP. IV.

1.

QUid igitur majeſtatis [a] poſſunt habere ſimulachra [b], quæ fuerunt in homunculi

a *Quid igitur majeſtatis*. Notat heic Walchius, Majeſtatem proprie ſignificare amplitudinem Senatus, Regis, atque Imperatoris; Deo tamen maxime quadrat, non ſolum, quia, ut ait Feſtus, a magnitudine dicitur; Sed quia ipſi ſoli nomen *Dei majeſtatis* tribuitur Pſal. XXVIII. v. 3. Hinc Ethnici Majeſtatem Deam dixerunt Honoris, & Reverentiæ filiam, cui Pudor, & Metus individui dati ſunt comites, & Dii omnes ad ejus ſimilitudinem ſuos cultus compoſuère. Ovidius l. v. Faſtor. a v. 23.

Donec honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris.
Hinc ſata Majeſtas; hos eſt Dea cenſa parentes;
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora: conſedit medio ſublimis olympo;
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.
Conſedere ſimul Pudor, & metus. Omne videres
Numen ad hanc cultus, compoſuiſſe ſuos.

b *Simulacra*. Iterum heic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſultat Gallæus, *& totum, ait, hoc caput tam manifeſte damnat idololatriam Pontificiorum in ornandis imaginibus, templis &c. ut mirum ſit, quod audeant jactare, ſe illos ritus a Chriſtianis accepiſſe, quum om-*

culi poteſtate, vel ut aliquod [c] fierent, vel ut omnino non fierent ? Idcirco apud Horatium Priapus ita loquitur :

Olim truncus eram ficulnus [d], *inutile lignum*.
Quum faber incertus, ſcamnum faceret ne Priapum,
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum, aviumque.
Maxima formido [e]....

Quis non ſit hoc tanto cuſtode ſecurus [f] ?

Fu-

---

omnino ſint pagani, *&* *ab ipſis promanarint*. Ignorantia ne, an malitia peccaverit, Eruditi judicent. Id certum eſt, hunc hominem divinæ, atque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ignarum prorſus fuiſſe, nec Lactantii ſenſa percepiſſe, ut infra locis ipſis, ad quos nos provocat, demonſtraturi ſumus, & jam luculenter oſtendimus Diſſ. XXXV. & XXVII.

c *Velut aliquod*. Al. *vel ut aliud*. Aldus *aliquid*.

d OLIM TRUNCUS ERAM FICULNUS. Truncus arboris, cui nomen eſt Ficus, fructus notiſſimos ſui nominis producens, lignum habens ſatis fragile, & vix ad opus aliquod utile ; unde per metaphoram dicimus: *Ficulneum argumentum*: *auxilium, fulcrum &c.*

e .... FURUM, AVIUMQUE MAXIMA FORMIDO. Vide, quæ a nobis annotata ſunt ad l. I. cap. XXI. ſeg. 30. & infra ſeg. 2.

f *Quis non ſit hoc tanto cuſtode ſecurus?* Aliqui editores ita hæc verba repræſentant, ut poëſeos ignarus lector hemiſtichium Horatianum eſſe putet, quamquam prorſa ſit ipſius Lactantii, ſic ironice loquentis. Al. *Quis non ſit tanto hoc &c.*

2.

Fures enim tam ſtulti ſunt, ut Priapi tentiginem timeant [a], quum aves ipſæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi exiſtimant, ſimulachris fabrefactis, id eſt hominum plane ſimilibus, inſideant, nidificent, inquinent.

a UT PRIAPI TENTIGINEM TIMEANT. Vide Lambinum ad Horatium l. 1. Serm. Satyr. II. v. 718. Heic tamen ſumitur hocce vocabulum pro eo, quod Horatius innuit verſu immediate ſequenti poſt illos, quos recitat Lactantius.

Obſcenoque ruber porrectus ab inguine palus.

Eo enim fures terrebantur, tamquam ſtupri pænam ſubituri, ſi quid in hortis furarentur, ut in *Priapea*, ſive Virgiliana, ſive Ovidiana, obſcœno carmine, apertiſſime dicitur. Romæ in hortis familiæ de *Boncompagnis* Soræ Ducis, ac Plumbini Principis, ad urbis mœnia, Portam Salariam inter, & Pinciam, marmoreum ſignum Satyri adeſt, antiquiſſimi, ac excellentiſſimi artificis opus, ex quo plurimi eruunt, qua figura fuerint expreſſæ hujuſmodi imagines. Hujus ſimulachri caput, barbam, pectus, & brachia, imitatus fuit Michael Angelus Bonnarotius, inſignis ſtatuarius, quum ſtatuam Moyſi finxit, quæ in Eccleſia S. Petri ad vincula magna admiratione conſpicitur.

3.

Sed Flaccus, ut ſatyrici carminis ſcriptor [a], deriſit hominum vanitatem. Verum ii,

a *Sed Flaccus, ut Satyrici carminis ſcriptor.* Hora-

ii, qui faciunt, ſeriam rem [b] facere opinantur,

ratius Flaccus, non Satyras ſolũmodo, ut Harduinus demonſtrare nititur, ſed Odas, Epiſtolas, & pulcherrimum de *Arte poetica* carmen elegantiſſime perſcripſit. Bene tamen heic Lactantius eum vocat: *Satyrici carminis ſcriptor*, quia verſus quos recitaverat, ex illius Satyra VIII. fuerant deprompti l. 1. Serm.

b *Seriam rem*. Al. *ſeriam ſe facere rem*.

4.

Denique poeta maximus [a], homo in cœteris prudens, in hoc ſolum non poetice, ſed aniliter deſipit [b], quum illis emendatiſſimis libris etiam fieri hoc jubet:

Et cuſtos furum, atque avium cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

a *Poeta maximus*. Rurſus hocce titulo Virgilium donat, & merito emendatiſſimos vocat libros ejuſdem qui *Georgicon* inſcribuntur. Cæteris enim in elegantia præſtant, & exquiſita ſunt eruditione referti.

b *Deſipuit*. Bon. *deſipiit*.

5.

Adorant ergo mortalia, ut a mortalibus facta [a]; frangi enim, cremari [b], ac perire poſſunt: nam & tectis vetuſtate labentibus, ſæpe comminui ſolent: & conſumpta incendio,

a *Adorant ergo mortalia, ut a Mortalibus facta*. Heic

Heic Gallæus, ſuique ſimiles perpendere debuerant, quod ſibi velit illa reduplicatio *ut a mortalibus facta*; nam ſuperfluum omnino eſſet, & inconcinnum. Si aliquid ea locutio iis, quæ antea dixerat non adderet. Ne ergo deinceps affectata negligentia inſignem Lactantii locum iſtum prætereant, ſciant *Tò ut* heic valere pro eo quod barbare dicitur; *Secundum quod*; *prout*; *quatenus*; *in quantum*, & ſenſus eſt, quo Lactantius confirmat, quod jam antea demonſtraverat contra Gentes; eas nimirum non colere numen aliquod, in Cælis exiſtens, nec eos timere, quorum imagines venerabantur, tamquam in eis vim ſuam exercentes, ſed ipſa nuda ſimulacra pro ut nihil aliud erant niſi materies ad illam formam redacta ab artifice: in quo cultu idololatriæ eſſentia ſita eſt. Vide Diſſ. XXVII.

b *Cremari, ac perire poſſunt*. Sic nobiſcum Schottus. Al *cremari poſſunt, ac perire*.

dio, labuntur in cinerem; & plerumque (niſi ſua illis magnitudo ſubvenerit, aut cuſtodia [c] diligens ſepſerit) in prædam furibus cedunt [d].

c *Sepſerit*. Bon. *ſæpſerit*.
d *Cedunt*. Bon. *Cadunt*.

6.

Quæ igitur inſania eſt, ea timere, pro quibus [a] aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? Quæ vanitas, aliquam ab his tu-

a *Pro quibus*. Gronovius, & Walchius obſervant, particulam *pro* a quibuſdam Mss. abeſſe; & ele-

tutelam [b], quæ tueri ſemetipſa non poſſunt? Quæ perverſitas, ad eorum præſidia decurrere [c], quæ ipſa quum violantur, inulta ſunt, niſi a colentibus vindicentur?

elegantius ſine ea locus iſte legendus, iiſdem viſus eſt. Mihi in nullo, ſive Mss., ſive editorum exemplari, variatio iſta ſeſe obtulit, præterquam in Heum: & Bunum; Verum quidem eſt, verbum timeo eleganter cum tertio caſu ſæpe a Latinis conſtrui; non tamen, reprehendi jure poteſt, ſi dicatur, *pro aliquo timere* Gellius enim, Grammaticorum facile princeps l. XIX. c. I. *Atque ille reſpondens* ait, *quoniam is quidem eſſet non magno opere ſolicitus pro anima nequiſſimi nebulonis; ipſum autem pro Ariſtippi anima timere*.

b *Sperare tutelam*. Al. *ſpectare*. Al. *expectare*.

c *Ad eorum præſidia decurrere*. Eleganter dictum pro eo, quod eſt, *præſidium implorare*. Vide Grævium. ad Cicer. *pro Cæcina*.

7.

Ubi ergo veritas eſt? ubi nulla vis adhiberi poteſt religioni; ubi nihil, quod violari poſſit, apparet; ubi ſacrilegium fieri non poteſt [a]. Quicquid autem oculis, manibuſque

a *Ubi nulla vis adhiberi poteſt Religioni; ubi nihil quod violari poſſit apparet; ubi ſacrilegium fieri non poteſt*. Quæro heic a Proteſtantibus, num hæc dici poſſint de Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, SS. Angelorum, aliorumque Sanctitate, ac virtute clariſſimorum hominum imaginibus? Equidem ſcio id ab iis prohiberi nunc, quamvis Iconoclaſtæ, & Calvi-

que ſubjectum eſt: id vere, quia fragile eſt, ab omni ratione immortalilatis alienum eſt. *b*

viniſtæ olim id feciſſe notum ſit, injuriam inferre ſacris Chriſti Domini imaginibus, Sanctorumq; Nam & Principum ſigna vel minimum dicto, aut facto lædentes, majeſtatis juſtiſſime damnari Jure communi dixerunt. Vide Diſſ. xxxv. cap. 3. §. VIII.

b *Alienum eſt*. Al. *eſt alienum*. Bon. *ælienum*.

8.

Fruſtra igitur Deos homines auro, ebore, gemmis excolunt [a], & exornant, quaſi vero ex his rebus ullam poſſint capere voluptatem. Quis

a *Fruſtra igitur Deos homines auro, ebore, gemmiſque excolunt*: Rite hoc aliud conſequens hæic a ſuperioribus deducit Lactantius, poſtquam demonſtraverat, in idolis nullam vim religioni adhiberi poſſe, nihil violari, nullum ſacrilegium fieri. Audi tamen Gallæum de more delirantem, atque temere ſaltantem extra chorum, quum: *Fruſtra igitur*, inquit, *cum Paganis Pontificii imagines ſuas tanto ſumptu ornant*: Quaſi idem eſſet Priapi ſimulacrum, ac Chriſti Domini imaginem aurea, vel gemmea corona redimire. Et tamen iſta hæc ſunt Lactantii verba, ad quæ nos Seg. 5. provocaverat, legens cum aliis quibuſdam: *Fruſtra igitur homines auro, ebore, gemmiſque Deos excolunt, & exornant*: præteriens affectata negligentia, quæ ſequuntur: *quaſi vero ex his rebus ullam poſſint capere voluptatem*: ut falſo ſibi Ethninici perſuaſerant.

9.

Quis uſus eſt pretioſorum munerum [a] nihil ſentientibus? an ille, qui mortuis? [b] pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretioſis veſtibus illita, & convoluta humi condunt, [c] qua deos honorant: qui neque, quum fierent, ſentiebant, neque quum coluntur, ſciunt: nec enim ſenſum conſecratione ſumpſerunt.

---

a *Quis uſus eſt pretioſorum munerum*. Bon; *Quis uſus eſt prætioſior &c.*

b *An ille qui mortuis*? Bon: *an illi &c.*

c *Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac veſtibus pretioſis illita, convoluta humi condunt*. Bon: *inlitant* Al. *pretioſis veſtibus illita, & convoluta*. Intellige: *odoribus pretioſis illita, veſtibus pretioſis convoluta*, ut Mos erat antiquorum, de quo diſſert. XXXII. cap. III. §. IX. diſſeruimus.

10.

Non placebat Perſio, [a] quod aurea vaſa templis inferantur, [b] ſupervacuum putanti eſſe inter religiones, quod non ſanctitatis, ſed avaritiæ ſit inſtrumentum. [c]

---

a *Perſio*. Al. *Perſeo* male. Vide, quæ de eo dicimus diſſ. XL. cap. XXII. §. XXIX.

b *Templis inferantur*: Aldus: *inferrantur*. Al. *inſerantur*.

c *Quod non ſanctitatis, ſed avaritiæ ſit inſtrumentum*. Hujuſmodi dona merito ſupervacua, immo noxia

11.

Illa enim ſatius eſt Deo, quem recte colas, inferre pro munere,

Compoſitum jus, a *faſque animi, ſanctoſque receſſus*
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto. b

---

xia in religione putantur; non autem ea, quæ offeruntur ab iis, quibus, ut idem Lactantius ait *de Ira Dei* cap. XVI. Seg. 2. *Perſuaſum eſt Deo placere juſtitiam, eumque, quum ſit Dominus, ac parens omnium, venerantur, & precibus aſſiduis, ac frequentibus votis, dona, & ſacrificia offerunt, nomen ejus laudibus proſequuntur, juſtis, ac bonis operibus demereri eum laborant. Eſt ergo propter quod Deus & poſſit & debeat gratificari* &c. Eumque propterea non externis dumtaxat oblationibus, ſicuti Ethnicis mos erat, ut ſibi prodeſſet, vel ne obeſſet, honorare debemus; ſed in recognitionem ſupremi dominii, ac in teſtimonium pleniſſimæ ſubjectionis; quemadmodnm Magos ab Oriente ad Chriſti Domini incunabula accedentes, feciſſe, Evangelica teſtatur hiſtoria: *Procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & Myrrham.* Matth. II. ℣. 11. ſcilicet, ut Juvencus ait l. 1. de Evangel. hiſt. a ℣. 277.

Submiſſiſque ſimul mox myſtica munera promunt:
Aurum, thus, myrrham, regique, Deoque, hominique
Dona ferunt: . . . . Vide diſſ. XXXII. & infra cap. VII. Seg. 3.

a COMPOSITUM Jus. Bon. *compoſita* forte legendum *Compoſitos, jus, faſque, anim os,* . . . Nam hoecce utli-

ultimum verbum, ſic manifeſte exaratum reperitur.

b .... ET INCOCTUM GENEROSO PECTUS HONESTO. Bon. *& incoctu generoſum pectus honeſto*. Quod certe elegantius dictum eſſet, ſenſumque redderet. *Eſſe jus, & fas habere animos compoſitos, & ſanctos receſſus mentis ab omni terrena perturbatione vacuos, & pectus generoſum, & ſolida virtute obfirmatum*. Dixit enim Lactantiur L. vii. xxi. Seg. 6. *Quos autem plena juſtitia, & maturitas virtutis incoxerit*. Et l. vi. c. 11. ſeg. 12. ubi hoſce verſus Perſii explicat: *Sentiabat videlicet*, inquit, *non carne opus eſſe ad placandam cæleſtem Majeſtatem, ſed mente ſancta, & juſto animo, & pectore, ut ipſe ait, quod naturali ſit honeſtate generoſum*. Idcirco hoſce verſus ſic eſſe legendos putarem:

Compoſitos, jus, faſque, animos, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctu generoſum pectus honeſto.

INCOCTU ab INCOQUO pro eo, quod barbare dicitur INCOCTIO: ut DICTU pro DICTIONE: FACTU pro FACTIONE: *auditu* pro *auditione*: &c. A qua tamen explanatione mirum quam longe abierint Plautius, Nebriſſenſis, & Betulejus. In codice Bononienſi Longobardico Aldus legit pro *incoctu*: *in Cætu*.

12.

Egregie, ſapienterque ſenſit. Verum illud ridiculum [a] ſubdidit: hoc eſſe aurum in templis, quod ſint:

a *Ridiculum*. Aldus: *ridicula*.

. . . [b] *Veneri donatæ a virgine pupæ*, quas ille ob minutias [c] fortaſſe contempſerit.

b Hoc eſſe aurum in templis, quod ſint.... Veneri donatæ a *virgine Pupæ*. Idem Perſius in eadem Satyra a ℣. 69.

Dicite Pontifices in ſancto quid facit aurum?

Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine Pupæ.

Ubi antiquus Scholiaſtes notavit: *Solebant virgines antequam nuberent quædam virginitatis ſuæ dona Veneri conſecrare*. In iis erant quædam parvæ imagines, ex lana ut plurimum compactæ, ad puerorum, ac puellarum luſus accomodatæ, quemadmodum etiam nunc eorum manibus videmus ſimilia ſimulacra complecti; virgines jam maturæ eas abdicando, Veneri dicabant, quaſi puellaribus ineptiis valedicendo, veros pro iis infantes expectaturæ. Varro apud Sypontinum. *Itaque brevi tempore magna pars in deſiderium pauperum, & ſigillorum veniebant*.

c *Ob minuties* Al. *minutiem* Al. *omittere*. Al. *ob-minutive* Al. *ob minutiam*. *Minutia*, inquit, Sypontinus, hoc eſt: *Contemptibilis parvitas cujuſcumque rei.*

13.

Non videbat enim, ſimulachra ipſa, & effigies deorum, Polycleti, & Euphranoris [a] & Phidiæ manu ex auro, atque ebore perfe-

a *Polycleti*, *& Euphranoris*, *& Phidiæ*. *Ph* pro *f.* numquam habet Cod. Bon. Nobiles, & celeberrimi hi fuerunt Simulacrorum Artifices, quorum opera recenſet Plinius l. XXXVI. cap. VIII. & paſſim apud Pau-

ſectas, nihil aliud eſſe, quam grandes pupas, non virginibus, quarum luſibus venia dari poteſt, ſed a barbatis hominibus [b] conſecratas.

Pauſaniam laudantur. Vixit Polycletus circa Olymp. LXXXVII. Phidias Olym.LXXX. Euphranor Olym.CIV. Praxiteli æqualis. Eos Cicero ſæpe commendat, & Quintilianus l. XII. c. 20. *Euphranorem admirandum facit, quod & cæteris optimis ſtudiis, inter præcipuos & pingendi, & fingendi idem mirus artifex fuit.*

b *Sed a barbatis hominibus.* Al. *barbaris hominibus* male.

14.

Merito igitur etiam ſenum ſtultitiam Seneca deridet. [a] *Non*, inquit, *bis pueri ſumus (ut vulgo dicitur) ſed ſemper. Verum hoc intereſt, quod majora nos ludimus.*

a *Seneca deridet.* Sæpe apud Senecam hanc ſententiam reperies; ſed verba hæc nuſquam leguntur. Forte in libris depeditis aderant. Epiſt. CXV. *Simillimi pueris* de ſenibus ait, quibus omne ludricum in pretio eſt..

15.

Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, & unguenta, & thura, & odores inferunt: his opimas, & pingues beſtias immolant: quibus eſt quidem os, ſed carens officio dentium: [a] his peplon, & indumenta pre-

a *His peplon, & indumenta pretioſa conſecrant,* qui-

pretioſa conſecrant, quibus uſus velaminis nullus eſt: [b] his aurum, & argentum conferunt, quorum tam uſum non habent qui accipiunt, quam qui illa donarunt.

---

quibus uſus velaminis nullus eſt. Al. *peplos* Al. peplon. *Peplos* fruticis genus eſt, quam aliqui *Sycen*, alii *Meconion aphrodos* vocant, inquit Plin. l. XXVII. cap. XII. *Ex una radice tenui fruticat, foliis rutæ paullo latioribus.* Heic vero velum ſignificat, de quo ad Virgil. æn. I. ℣ 484.

Crinibus Iliades ſparſis, peplumque ferebant.

Servius ait: *Peplum propria eſt palla picta fæminea, Minervæ conſecrata, ut Plautus* ait: Nunquam ad civitem veni, niſi quum inferretur peplum. *Hodie tamen multi abutuntur hoc nomine.* Refert etiam hiſtoriam ex Homero, qua fertur, propitiandæ Palladis gratia, Cœtum Matronarum Trojanarum coactum fuiſſe in templo Palladis, ubi omnibus ſupplicantibus, Teano, uxor Antenoris, Peplum Numini obtulit. In recto Peplus, Peplum, Peplon, Græca terminatione reperitur, a Scriptoribus uſurpatum. Nonnulli tam Mss; quam editi libri *Tò conſecrant* non habent. Aldus vero legit *conſecrat* ex C. L.

a *His aurum, & argentum conferunt, quorum tam uſum non habent qui accipiunt, quam qui illa donarunt:* Sic reſtituo ex noſtro codice, ubi Al. hactenus legebant. *aurum, & argentum conſecrant, quæ tam non habent.*

16.

Nec immerito Dionyſius [a] Siciliæ tyrannus poſt

---

a *Dionyſius Siciliæ Tyrannus*; Duos hujus nominis Ty-

poſt victoriam Græcia potitus, deos tales contempſit, ſpoliavit, illuſit: ſiquidem ſacrilegia ſua jocularibus etiam dictis proſequebatur.

Tyrannos Sicilia habuit, Patrem ſcilicet, & Filium, Regni, ac impietatis hæredem minime degenerem, de quibus vide Juſtinum l. xx. & xxi. Hic de quo Lactantius loquitur Pater fuit, cujus, ut Juſtinus ait, prima militia adverſus Græcos, qui proxima Italici Maris littora tenebant, fuit.

17.

Nam quum Jovi Olympio[a] aureum amiculum detraxiſſet, laneum juſſit imponi, dicens: æſtate grave eſſe aureum, hyeme frigidum: laneum vero utrique tempori aptum.

a *Nam quum Jovi Olympio*. Cicero de Nat. Deor l. iii. *Quum in Peloponneſum claſſe appuliſſet, & in Fanum veniſſet Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubriis Karthaginenſium Tyrannus Gelo*. Valer Max. l. 1. cap. ii. non Gelonem, ſed Hieromem id Jovi dediſſe tradit.

18.

Item[a] auream barbam detrahens Aeſculapio, incongruens, & iniquum eſſe ait, quum Apollo pater ejus imberbis adhuc eſſet, ac lævis[b], priorem filium, quam patrem, barbatum videri.

a *Item*. Al. *idem*.
b *Apollo pater ejus imberbis adhuc eſſet, at lævis* Al.

Al. *Tò adhuc* non habent, Al. pro *lævis*, *lenis* legunt; & Bon. hanc vocem ſine diphthongo ſcribit; ſed male, nam in antiquiſſimo Cod. Virgiliano Mediceo, a Foggino edito Ecl. VI. ℣. 51.

Et ſæpe in laevi quaeſiſſet cornua fronte.

& Tibul. l. 1. Eleg. VIII. ℣. 7.

Charior eſt auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.

Sic minutius Felix Apollinem vocat, ſic Horatius l. IV. carm. ode VI. ℣.28. *Lævis Aguleu* ubi ſcholiaſtes notat *Lævis*: *expolitus*, *imberbis*. Recentiores vero editores, & Grammatici diphthongum omittunt, quæ tamen mihi neceſſaria videtur, ut *levis* id eſt, ſine pondere, a *lævi* quod eſt *molle*, & *politum* diſtinguatur. De hiſtoria, quam heic tangit Lactantius, vide Cicer:, Valer. Max. ubi ſupra, & Ælian: l. 1. cap. XX. V. H.

19.

Item pateras, & exuvias, & parva quædam ſigilla, quæ ſimulachrorum protentis manibus [a] tenebantur, detrahebat: & accipere ſe illa, non auferre dicebat. Perquam enim ſtultum eſſe, & ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus, a quiqus bona ſibi homines precarentur.

a *Protentis manibus*. Al. *potentis*. Al. *protenſis*. Utroque modo dici poteſt *protenſus* enim, & *protentus* participia ſunt ejuſdem verbi *protendo*, & paſſim apud Scriptores occurrunt.

20.

Hæc ille fecit impune, quia rex, & victor

ctor fuit, quin etiam ſecuta eſt *a* eum ſolita felicitas; vixit enim uſque ad ſenectutem, *b* regnumque per manus filio tradidit *c*. In eo igitur, quia homines ſacrilegia vindicare non poterant, oportuit deos ipſos ſui vindices eſſe,

a *Secuta eſt eum ſolita felicitas*. Valerius Max. ubi ſupra. *Qui tametſi*, inquit, *debita ſupplicia non exſolvit; dedecore tamen filii, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat*. Sed ſuperſtitioſi hominis iſtahæc imaginatio fuit, nam Dionyſii filio ſcelera non defuerunt, quibus dedecus illud erat debitum.

b *Vixit enim uſque ad ſenectutem*. Ex Diodoro ſiculo l. xv. Crapula in morbum incidit, quo quum graviter conflictaretur, ne agendi cum eo Dioni eſſet poteſtas, filius ſoporem Medicos dare patri coëgit, quo ſumpto, ſomno ſopitus, Rex interiit. Vide Cornel. Nepot. in Dione.

c *Regnumque per manus filio tradidit*. Sic c. xxiv. *De Mort. Perſecut.* Seg. 8. Livius l. 1. cap. 3. Dec. 1. *Aventino regnum per manus tradidit*. Juſtinus vero in fine lib. xx. ait, *Dionyſius aſſiduis belli certaminibus victus, fractuſque, inſidiis poſtremum ſuorum interficitur*, & l. xxi. *Extincto in Sicilia Dionyſio tyranno, in locum ejus milites maximum natu ex filiis ejus, nomine Dionyſium ſuſcepere*.

21.

At ſi humilis quiſpiam quid tale *a* commiſerit;

a *At ſi humilis quiſpiam quid tale*. Bon. *Ac ſi humiles &c.* Al. *tale quid*.

ſerit: huic præſto ſunt flagella, ignes, eculei, cruces [b], & quicquid excogitare iratis, & furentibus licet.

---

b *Flagella, ignes, eculei, cruces &c.* Varia heic tormentorum, pænarumque genera recenſentur, de quibus diſſ. XXXII. locuturi ſumus. cap. I. §. II.

22.

Sed quum puniunt in ſacrilegio deprehenſos, [a] ipſi deorum ſuorum poteſtate diffidunt. Cur enim non ipſis [b] potiſſimum relinquant ulciſcendi ſui locum, ſi eos poſſe aliquid arbitrantur?

---

a *In ſacrilegio deprehenſos*. Al. *deprehenſos in ſacrilegium*.

b *Cur enim non ipſis.* Sic Schottus. Al. *Cur enim illis potiſſimum non relinquant* &c.

23.

Quin etiam putant illorum numine acciddiſſe, ut prædones rerum ſacrarum comprehenſi [a] tenerentur, & ſæviunt non tam ira, quam metu: ne ſi deorum injuriam non vindicaverint, in ipſos expetant [b] pœnas incredibi-

---

a *Comprehenſi*, Al. *deprehenſi*. Schottus nobiſcum legit.

b *In ipſos expetant pænas*: Schottus *expectant*. Al. *ipſos expetant pænæ*. Sed Iſæus quum dixi it, Codex Bonon: habet *in ipſos expectant pænæ*, intelligendus eſt de Cod. Longobardico in quo etiam Aldus ait: *pænæ* ſcri-

dibili ſcilicet vanitate [c], qui nocituros ſibi deos putent ob aliena ſcelera, quum ipſis [d], a quibus violati, ſpoliatique ſunt, per ſeipſos nihil nocere potuerunt.

ſcriptum fuiſſe. Noſtra lectio optima eſt, ex Cicer. pro Murena 18. *Etiamſi pænas a Populo Romano ob aliquod delictum expetierint*.

c *Incredibili ſcilicet vanitate*. Heraldus ad ſimilem Arnobii locum, argumentum hocce nihil probare dixit; nam Deus ipſe, & lex omnis jubet, ſacrilegos, impioſque homines a publica poteſtate eſſe puniendos. Quod quidem veriſſimum eſt; ſed minime infringit vim argumenti adverſus præſertim Epicureos, qui quum viderent, homines potentes, in quos non poterant Judices authoritatem ſuam exercere, impune ſcelera, & ſacrilegia perpetrare, nihilominus eos neque poſt mortem ſuorum delictorum pænas daturos putabant. Unde efficaciſſimum eſt Lactantii noſtri argumentum, hoc ſenſu propoſitum. Reges, & Principes impune ſacrilegia patrarunt, nec dii eos punierunt; ergo vanus eſt timor; Ne ſi Deorum injurias judices non vindicaverint, ab ipſis pænas expetant Numina læſa; nam ſi Numina iſta aliquid poſſent, non ſolum judices iſtos, qui impios impunes abire permittunt, pæna plecterent, ſed etiam, & potiſſimum ipſos Tyrannos, qui tam enormes injurias Idolis irrogaverunt, deriſerantque, quum non eſſet alius, a quo punirentur. Cujus generis argumentationem ne contra nos regerere aliquo modo poſſent Athei, ideo oculatiſſimus Lactantius poſt libros Divin. Inſt., illum vere elegantiſſimum edidit *de Ira Dei*, addiditque alium *de Mortibus perſecutorum*; ut oſtenderet, verum Deum omnipotentem, non ſolum juxta noſtrum con-

concipiendi modum adverſus impios iraſci , verum etiam eos in hac, & in alia vita pœnis promeritis juſtiſſime afficere .

d *Quum ipſis* . Al. *qui ipſis* .

24.

At enim [a] *ſæpe ipſi quoque in ſacrilegos vindicaverunt* . Poteſt id vel caſu accidiſſe , quod aliquando , non ſemper . Sed ſi tamen ; paullo poſt , quomodo id acciderit , oſtendam . [b]

a *At enim ſæpe* &c.Effugium aliorum Ethnicorum eſt , qui non erant de græge Epicuri . Quibus reſpondet Lactantius . In primis , id caſu accidere potuiſſe ; nam quod ſolum aliquando contingit , non ſemper idem evenire neceſſe eſt , ideoque vis argumenti tunc pariter urget ,

b *Sed ſi tamen ; paullo poſt quo modo id acciderit , oſtendam* . Al. *ſed tamen paulo poſt quo modo* &c. Sed male : ſenſus enim eſt : Si Dæmones vindicaverunt injurias idolis irrogatas ; paullo poſt oſtendam quo modo id factum eſt . Ut infra videbimus cap. XVI. a Seg. 2. & ſeg. hujus libri .

25.

Nunc interim quæro, cur illa tot , [a] & tanta ſacrilegia in Dionyſio non vindicaverint ? qui

a *Cur illa tot , & tanta ſcelera* . Al. *cur illi* &c. Schottus *illi* .

qui non furtim, ſed palam deos ludibrio habuit. [b] Cur hunc tam potentem [c] ſacrilegum a templis, a cerimoniis, [d] ab imaginibus ſuis non arguerunt? [e] Cur etiam ſacris rebus ablatis, proſpere navigavit? quod joco ipſe teſtatus eſt, (ut ſolebat)

b *Ludibrio Deos habuit*. Nec ſolus Dionyſius id fecit; ſed alii plurimi. De Alexandro Zebina, Syriæ Rege, quem tamen Arnobius vocat Antiochum Cyzicenum, vide Juſt. l. xxxix. c.2. de Brenno Gallorum Duce Idem Juſt. l. xxiv. cap. 6. &c. Al. *Deos ludibrio habuit*. Quid de Harpalo, inſigni prædone ex Diogene Cynico referat Cicero, vide l.iii. de N.Deor.1202.

c *Cur hunc tam potentem*. Janus Guglielm. *in quæſt. ad Platon. Menæch.* cap. 4. Se in quibuſdam membranis legiſſe teſtatur. *Cur hunc tamen potentem*. Unde conjectura ductus, legendum putavit, *tam impotentem*. Gallæus, & quidam alii eum ſecuti ſunt: nos nihil, quod in Codd. Mss. non invenimus in textum recipiendum eſſe arbitramur; maxime quum iſta præſto ſint, nec locus mutationem exigat, ut heic etiam teſte Cellario contingit.

d *A cerimoniis*. Al. *cæremoniis*. Al. *ceremoniis* Feſtus *Cæremoniarum cauſſam alii ab Oppido cære dictam exiſtimant, alii a caritate dictam judicant*. Sabinus apud Gellium a carendo deducit, nonnulli vero apud Sypontinum a *Cæritibus* eas appellatas volunt. Ritus ſignificant, quibus religionis cultus exercetur. Varie ſcribitur, ſed retineo lectionem noſtri Codicis cum eodem Sypontyno, Tomaſſio, Schotto, aliiſque, etſi non damnem, qui *cæremoniis* ſcribunt.

e *Non arguerunt*. Sic reſtituo authoritate noſtri

Codicis, ubi omnes hactenus legerunt. *Arcuerunt*, non advertentes idem etiam ſignificare *non arguerunt*. Verbum ſiquidem *arguo* pro *vetare*, *prohibere* elegantiſſime ſumitur. Ovid. *de Ponto* l. I. Eleg. VI. a ℣. 41.

Me quoque conantem gladio finire dolorem,
Arguit injecta, continuitque manu.

Ubi Daniel Chriſpinus Helvetius: *Iſtud dedecus, ut effugiat Naſo, a ſpe, mira quidem, ſed potentiſſima Dea, prohibitum ſe, ne gladio finiret dolorem, ingenioſiſſime teſtatur.*

26.

Videtis ne, inquit [a] comitibus ſuis naufragium timentibus, *quam proſpera ſacrilegis navigatio ab ipſis diis immortalibus tribuatur*? Sed hic fortaſſe a Platone dedicerat, deos nihil eſſe [b].

---

a Videtis ne inquit, &c. Sic apud Ciceron. l. iii. de N. D.

b *A Platone didicerat*, *Deos nihil eſſe*. Ter ex Laertio L. iii. Sect. 18. in Siciliam navigavit Plato, primum quidem vivente Dionyſio Majore, Hermocratis filio, a quo, teſtibus Cornelio Nepote, Diodor. ſicul., Plutarcho, & Laertio, pro mancipio in foro xxv. minis fuit divenditus. Secundo vero, & iterum, regnante Dionyſio filio, ejus accerſitu, ut ait Lambinus, in Siciliam navigavit, quum ille Platoni eſſet pollicitus per litteras, ſe omnia Dioni exulanti, quæ ipſe vellet, remiſſurum, largiturum, conceſſurum. Quid autem de diis Dionyſium patrem Plato docuerit, Cellarius erui poſſe arbitratur ex epi-

epiſtola ultima ad eundem, cujus *ſeriæ Epiſtolæ* (σπου-δαίας) dicit *initium eſſe* ὁ θεός : *ſequioris*, οἱ θεοί , Sed nihil tale in Platone reperiſſe profiteor; & Lactantium locutum fuiſſe puto de arcana philoſophi illius Doctrina, qua Tyrannum docuerat, unum eſſe Deum, & nihil proſus, quos Deos Ethnici putabant.

27.

Quid Gajus Verres? [a] quem Tullius accuſator ejus eidem Dionyſio, & Phalaridi [b], & tyrannis omnibus comparat, nonne omnem Siciliam compilavit, ſublatis deorum ſimulachris, ornamentiſque fanorum?

a *Quid Gajus Verres*. Al. *C. Verres*. De eo diximus ad l. I. cap. x.

b *Et Phalaridi*. Bon. *Falaridi*. De eo infra l. iii. cap. xix. 8. & L. II. 7. 5. dicemus.

28.

Odioſum eſt [a] perſequi ſingula: unum libet commemorare, in quo accuſator omnibus eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis, & corporis deploravit de Cerere [b] Catinen-

a *Odioſum eſt*. Al. *Otioſum* & ſic Minut. Felix c.23. *Otioſum eſt ire per ſingulos*. At bene etiam *Odioſum* dicitur pro *Moleſtum*, ut ait Valla, & hoc ſenſu uſurpatur a Plaut. in Curcul. I. I. 7. a Terent. in Phorm. 5. 8. 44., & a Cicer. de Senect. xxvI. Adde vulgatum adagium: *Comparatio quælibet odioſa*.

b *Deploravit de Cerere vel Catinenſi, vel Ennenſi*.

ſi, [c] vel Ennenſi, [d] quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus ſecreta penetralia, viris nefas eſſet: [e] & alterius antiquitas tanta, ut omnes hiſtoriæ loquantur, ipſam deam fruges in Aetnæ ſolo [f] primum reperiſſe, [g] filiamque ejus virginem ex eodem loco raptam. De-

---

Sic ſine interpunctione lege, ubi alii poſt Tò deploravit comam, vel punctum ponunt. Deplorare enim de aliquo ſæpe Tullius uſurpat pro *conqueri*, & *lamentari*, & præcipue in Ver. l. IV. V. & VI.

c *Catinenſi* Al. *Catanenſi*. Noſtra lectio Latinis uſitatior, Græcis vero *Catana* dicitur, Urbs, quæ noſtris *Catina*, Italis *Catania* in Sicilia, cui Aetnæ mons, igneas flammas evomens, imminet, agroſq. ejus non tam ferventibus cineribus corrumpi, quam fœcundos, & feraces reddi, Strabo autor eſt.

d *Eunenſi* Al. *Etnehenſi* Al. *Aethnenſi*. male; nam *Enna* nunc vulgo *Caſtro Janni*, Urbs pariter in excelſo, & undique prærupto monte fuit in Siciliæ meditullio, circa quod lacus, lucique plurimi, ac prata floribus, erbiſque virentia viſuntur, e quibus Proſerpinam a Plutone raptam, & per ſpeluncam quandam, ibidem adapertam, ſecum ad inferos deportatam, Ethnicis perſuaſum erat. De iis Cicero in Verrem ſæpe locutus eſt.

e *Et alterius* Al. copulam omittunt.

f *In Aetnæ ſolo*, Al. *in Ennæ*. Heic ſervari lectio debet, nam Mythologi prope hunc locum, Cererem errantem quæſiſſe filiam deperditam tradunt; ibidemque a Siculis templum eidem fuiſſe erectum, dixerunt.

g *Reperiſſe*, Bon. *Repperiſſe*, more antiquorum.

29.

Denique Gracchanis temporibus [a] turbata republica,& ſeditionibus, & oſtentis, quum repertum eſſet in carminibus Sibyllinis [b], antiquiſſimam Cererem debere placari, legati ſunt Ennam miſſi.

a *Gracchanis temporibus*, ſcilicet occiſo Tiberio Graecho An. a V.C. DCXX. Plubio Mutio, & L. Calpurnio Coſſ., ut habet Cicer. L. IV. in Verr., & Val: Max. L. I. cap. I.

b *In Carminibus Sibyllinis.* Valer. Max. ubi ſupra. *Cujus quum in Urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano iuteritu pollutum, moniti Sibyllinis libris, ut vetuſtiſſimam Cererem placarent, Ennam, quoniam Sacra ejus inde orta credebant, Decemviros ad eam propitiandam miſerunt.*

30.

Hæc igitur Ceres vel religioſiſſima, quam videre maribus [a] ne adorandi quidem gratia licebat: vel antiquiſſima, quam S. P. Q. R. ſacrificiis, doniſque placaverat: ex arcanis, & vetuſtis penetralibus, a G. Verre [b] immiſſis latronibus ſervis, impune ſublata eſt.

a *Quam videre maribus.* Bon. *Majoribus.* Librarii oſcitantia ſic ſcriptum puto; nam Cicero Verr. IV. de Cerere Catinenſi ait: *In Sacrario intimo fuit ſignum Cereris perantiquum, quod viri non modo cujuſmodi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant; aditus enim in id Sacrium non eſt viris.*

b *A Gajo Verre.* Al. *a C. Verre.* Sic ſemper.

31.

Idem vero, quum affirmaret, ſe a Siculis ut cauſſam provinciæ ſuſciperet, oratum, his verbis uſus eſt [a]: *ſeſe jam ne deos quidem in ſuis urbibus ad quos confugerent, habere, quod eorum ſimulachra ſanctiſſima G. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet*: quaſi vero ſi Verres Deos ex urbibus, delubriſque ſuſtulerat, de cœlo quoque ſuſtuliſſet.

a *His verbis uſus eſt*: Perperam in editis locus aſſignatur, in quo iſta leguntur; deprompta enim ſunt ex procemio orationis in Quintum Cæcilium, cujus titulus eſt: *de Accuſatore in G. Verrem conſtituendo*. Quæ oratio inſcribitur *Divinatio*, & eſt IV. in ordine.

32.

Unde apparet, [a] iſtos deos nihil habere in ſe amplius, quam materiam, de qua ſunt fabricati.

a *Vnde apparet &c.* Notent heic Romanæ Eccleſiæ Oſores, adverſus quas imagines Lactantius ſit intelligendus, quum earundem venerationem improbat; & Gallæi noſcant impoſturam.

33.

Nec immerito ad te, M. Tulli, hoc eſt ad hominem, [a] Siculi confugerunt, quoniam

a *Hoc eſt, ad hominem*. Al. *Ad te ipſum hominem.* Quam lectionem merito repudiavit Aldus, & veram primus reſtituit Tomaſſius.

niam triennio ſunt experti *b*, deos illos nihil valere; eſſent enim ſtultiſſimi, ſi ad eos defendendas injurias hominum confugiſſent, qui G. Verri nec pro ſeipſis irati *c* eſse potuerint.

---

b *Triennio ſunt experti*. Per triennium Verres Siciliæ præfuerat, ubi quamvis avaritia, libidine, furtis jura omnia violaſſet, incolumis ſemper, ac in delicis vixit. Deo ſic permittente; ut Idolorum vanitatem vel ex hoc cognoſcere poſſent Idololatræ ſi vellent.

c *Irati eſſe potuerint* Al. poterant. Al. *potuerunt*. Nota adhiberi heic caſum dandi, more Græcorum.

34.

At enim Verres a ob hæc facinora damnatus eſt. Non ergo dii vindicaverunt, ſed Ciceronis induſtria: quæ vel defenſores *b* ejus oppreſſit, vel gratiæ reſtitit.

 Quid

---

a *At enim Verres*. Verba Ethnicorum ſunt, qui adverſus ea, quæ Lactantius dixerat, ſic reponunt. Sed adverſus eos effugium ipſum regerit Author, eoſque acrius perſtringit. Verres enim numquam exilio damnatus fuit, quum ſponte Urbe diſceſſiſſet, lite æſtimata tricies *HS.*, id eſt, triginta ſeſtertios, propter quod *male audivit Cicero*, ait Plutarchus, *quaſi pecunia corruptus in æſtimanda lite eſſet prævaricatus*. Sed errorem in Plutarchi libris irrepſiſſe ex Aſconio Pediano eruitur, qui ſeſtertium quadringenties ex Verre repetitum eſſe, teſtatus eſt.

b *Quæ vel defenſores* Al. *qua vel difenſores*.

35.

Quid? quod apud ipſum Verrem non fuit illa damnatio,ſed vacatio? ut,quemadmodum Dionyſio deorum ſpolia geſtanti, Dii immortales dederant bonam navigationem [a]: ſic etiam Verri bonam quietem [b] tribuiſſe videantur, in qua ſacrilegiis ſuis tranquille frui poſſet.

a *Dederant bonam navigationem* Al. *bonam dederant navigationem*.

b *Sic Verri bonam quietem*. Siquidem dum univerſi Romani Cives civilibus diſcordiis periclitabantur, Verres extra Urbem omni metu liber dies agebat.

36.

Nam frementibus poſtea bellis civilibus, ſub obtentu damnationis, ab omni periculo, & metu remotus, aliorum graves caſus, & miſerabiles exitus audiebat: & qui cecidiſſe ſolus univerſis ſtantibus [a] videbatur, is vero univerſis cadentibus ſtetit ſolus [b], donec illum & opibus ſacrilegio partis, & vita ſatiatum,ac ſenectute confectum proſcriptio triumviralis [c] auferret, eadem ſcilicet quæ Tul-

a *Univerſis ſtantibus*. Sic etiam Schottus. Aldus *omnibus ſtantibus*.

b *Stetit ſolus*. Sic Schottus. Al. *ſolus ſtetit*.

c *Proſcriptio Triumviralis*. Sicut Sylla poſt Rempublicam Marii, & Cinnæ armis oppreſſam ingentem

Tullium violatæ deorum majeſtatis ultorem abſtulit.

---

tem proſcriptionis tabulam propoſuit; Sic Cæſar, Lepidus, & Antonius poſt quam Urbem, civili bello vaſtatam, imperiumque adminiſtrare cœperunt, percuſſo inter ſe fœdere cruentiſſimam proſcriptionem Romanorum Civium excitavere, inter quos Cicero, & Verres cum centum quadraginta Senatoribus, Floro teſte L. VI. c. 6., ſublati ſunt.

37.

Quin etiam felix in eo ipſo fuit, quod ante ſuam mortem crudeliſſimum [a] exitum ſui accuſatoris audivit, diis videlicet providentibus, ut ſacrilegus, ac prædo ille regionum ſuarum non ante moreretur, quam ſolatium de ultione cepiſſet.

CAP.

---

a *Crudeliſſimum exitum ſui accuſatoris audivit*. Jam alibi eam deploravimus. De Verre autem tradidit Aſconius in voluntario exilio eum conſenuiſſe donec ab Antonio proſcriptus, quod Corinthiis ſe ei ceſſurum negaſſet, neſcio qua morte periit. Vide Plin. L. XXXIV. cap. II., & Senecam in Suaſor. VI. num. 20, ubi ex Pollione notat Andreas Schottus, Verrem Ciceronis reum fortiſſime morientem, fuiſſe viſum; Sed poſtquam Cicero fuit obtruncatus.

C A P. V.

1.

QUanto igitur honeſtius, & rectius eſt, [a] omiſſis inſenſibilibus, & vanis, oculos eo tendere, ubi ſedes [b], ubi habitatio eſt Dei veri? qui terram [c] ſtabili firmitate ſuſpendit, qui cælum [d] diſtinxit aſtris fulgentibus, qui Solem rebus humanis clariſſimum, ac ſingulare lumen, in argumentum [e] ſuæ unicæ majeſtatis incendit; terris

a *Quanto igitur honeſtius, & rectius eſt*. Sic Aldus. Al. Tò *honeſtius* non habent præter unum, quem vidimus.

b *Vbi ſedes, ubi habitatio eſt Dei veri*. Ad Lib. de Opif. Dei Cap. XVI. Seg. 10. expoſuimus, quomodo Deus, qui ſemper ubique eſt; in Cælis tamen ſedem habere dicatur. Vide nihilominus diſſ. XXIX, in qua a Petavii objectionibus Lactantii doctrina vindicatur.

c *Qui terram ſtabili firmitate ſuſpendit*. Hujus ſententiæ meminiſſe oportet, quum de Antipodibus, & de mobilitate telluris locuturi ſumus diſſ. XXIV. L. III. cap. 3. ſeg. 4.

d *Qui Cælum &c.* Semper per *æ Caelum* ſcribitur in noſtro codice Ms.

e *In argumentum ſuæ majeſtatis incendit*. Al. *accendit*. Eadem ſignificatione metaphorica pro eo quod eſt *Lumen impartiri*; niſi quod incendo vim quandam communicativam ſui importare videtur unde Naves *incendiariæ* dicuntur, quæ cum aliis incen-

ris autem maria circunfudit, flumina ſempiterno lapſu fluere præcepit,

Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſylvas, lapidoſos ſurgere montes:

---

cendia communicant. Hoc Soli apprime congruit, qui orbem univerſum illuſtrat, lumenque ſuum ſideribus impartitur. Unde Cicer. *de Univerſ.* ait: *Deus ipſe Solem, quaſi lumen, accendit*, quam locutionem ſcite variavit Lactantius ob ea, quæ diſſ. xxiv. de Solis luce dicturi ſumus. Illuſtrari enim omnes ſtellas fixas a Sole, ab eoque ſuum lumen accipere, docuit Metrod. apud Plutar. de Plac. Philoſ. L. II. c. II.

2.

Quæ utique omnia non Jupiter fecit, qui annos mille octingentos natus eſt[a]: ſed idem

Ille Opifex rerum, mundi melioris origo,

qui vocatur Deus: cujus principium[b], quoniam non poteſt comprehendi, ne quæri quidem debet.

---

a *Ante annos mille octingentos natus eſt*. Sic nobiſcum legit Aldus. Al. *Septingentos*, ſed male, nam ex cap. ultimo libr. I. ſeg. 5. nobiſcum omnino legendum eſt. Vide tabulas Chronolog. diſſ. xxII.

b *Cujus principium, quoniam non poteſt comprehendi, ne quæri quidem debet.* Deus omni caret principio, ſed ipſe rerum omnium principium eſt, & cauſſa quod etiam Plato didicit a Socrate, & ab utroque ſe didiciſſe fatetur Tullius L. I. Tuſcul. quæſt. ajens: *Principii autem nulla eſt origo, nam a principio oriuntur omnia; ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt.* Iccir-

co

co de Divini Verbi generatione loquens S. Johannes Evangeliſta eo ſapientiſſimo prooemio eſt uſus: *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. Quibus mirifice diſtinxit rationem principii in Patre in ordine ad Filium, & rationem originis in Verbo, qua Principium, in quo ſemper fuit, carere neceſſe eſt. Quum ergo hujus æternæ originis principium ab homine nullo modo comprehendi poſſit dicente Iſaia: *Generationem ejus quis enarrabit*. cap. LIII. V. 8. rectè Lactantius ait ne quæri quidem debere. *Scrutator enim Majeſtatis opprimetur a gloria*. Proverb. XXV. 2. Al. legunt. *ne quæri debet quidem*.

3.

Satis eſt homini ad plenam, perfectamque prudentiam, ſi Deum eſſe intelligat, cujus intelligentiæ vis, & ſumma hæc eſt, ut ſuſpiciat, & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem.

4.

Unde quidam hebetis, obtunſique cordis [a], elementa, quæ & facta ſunt, & carent ſenſu, tanquam deos adorant.

Qui

a *Obtunſique cordis*. Al. *obtuſique*. Utraque lectio bona; noſtra autem antiquior, ut in Virgil. Ms. Codd. Florentino Mediceo, & Rom. Vat. æn. I. V. 571.

Non obtunſa adeo geſtamus pectora Pœni.

Ubi vide Pierium: & Servium ad Georg. I. V. 262.

5.

Qui quum Dei operam[a] mirarentur, id eſt, cælum [b] cum variis [c] luminibus, terram cum campis & montibus, maria cum fluminibus, ſtagnis, & fontibus: earum admiratione obſtupefacti, & ipſius artificis obliti, quem videre non poterant, operam ejus venerari, & colere cœperunt [d], nec unquam intelligere quiverunt, quanto major, quantoque mirabilior ſit, qui illa fecit ex nihilo:

a *Qui quum Dei operam.* Al. *opera*. Noſtra lectio melior eſt, ac ſummo Theologo digna, Deus enim unica operatione operatur, docente Domino apud Joh. V. 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ipſe operor*.

b *Id eſt Cælum*. Aliqui primas duas voces non habent, quas tamen Aldus reſtituit ex utroque Codice

c *Cum variis luminibus*. Al. *cum luminaribus variis*.

d *Operam ejus venerari, & colere cæperunt*. Al. *opera*. En Polytheiſmi principium, a quo temporis intervallo Idololatria deinde ſuborta eſt: Deuteron. XVII. V. 3. *Ut vadant, & ſerviant Diis alienis, & adorent eos Solem & Lunam, & omnem* Militiam *Cæli, quæ non præcepi*. Vide diſſ. XXVII.

6.

Quæ quum videant divinis legibus obſequentia, commodis, atque uſibus hominum perpetua neceſſitate famulari [a]: tamen illa deos

a *Atque uſibus hominis perpetua neceſſitate famulari*.

deos exiſtimant eſſe, ingrati adverſus beneficia divina, qui Deo, & patri indulgentiſſimo ſua ſibi opera prætulerunt [b].

lari. Al. *hominum* Walchius notat, hanc locutionem hac ſignificatione non adeo frequentem eſſe. Plin. L. II. cap. VII. *Externis famulatur ſacris*. Item cap. LXIII. *ut alimentis famulentur noſtris*. Catull. 62. 161. *Labore jucundo famulari*. Adde Prudent. L. 2. Symm. 1082. *Quibus eſt famulata juventus*. Lact. de Ira XXIIII. 21.

b *Sua ſibi opera prætulerunt*. Al. Tò *ſibi* non habent; ſed Bunem. adverſus Walchium non ſolum tom. III. Miſcell. Lipſien; Sed etiam heic lectionem noſtram tuetur, eam eruditiſſime vindicans bonorum Latinorum exemplis, & interpretatur *ſua ſibi* pro eo quod dicitur *ſua propria* cum Turnebo, Taubanno, & Daviſio; Idemque ante eum ſenſerat Heum: Aldus nobiſcum legit.

7.

Sed quid mirum, ſi aut babari, aut imperiti homines errant? quum etiam philoſophi Stoicæ diſciplinæ in eadem ſint opinione [a], ut omnia cæleſtia, quæ moventur, in deorum numero habenda eſſe cenſeant? ſiquidem Lucilius Stoicus [b] apud Ciceronem ſic loquitur:

a *In eadem ſint opinione*. Bon: *opinionem*.

b *Lucilius Stoicus*. Sic Aldus reſtituit. Thom. edidit *Lucillus*: De eodem loquitur Cicero L. I. de Nat. Deor. cap. VI. eumque appellat Q. Lucilium Bal-

bum,

bum, *Qui tantos, ait progreſſus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur.* Oqera tamen ejus exciderunt, & Verba, quæ heic a Lactanctio recitantur ex eodem L. II. cap. XXI. de N. D. exſcripta ſunt. De Lucilio autem hoc vide quæ diximus diſſ. xl. cap. xv. ſ. ix.

8.

Hanc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam [a] *in tam variis curſibus in omni æternitate convenientiam temporum, non poſſum intelligere ſine mente, ratione, conſilio*[b] *quæ quum in ſideribus ineſſe videamus, non poſſumus* [c] *ea ipſa non in deorum numero reponere.*

a *Hanc tantam.* Deſunt hæc verba in noſtro cod. & in eis quos contulit Aldus; nos ſuo loco reſtituimus ex eodem Tullio.

b *Conſilio, quæ quum in ſideribus.* Sic omnino legendum, non ut habet Ms. Bon. noſtrum *conſilioq.*

c *Non poſſumus ea ipſa non in Deorum numero.* Secundam negationem Ms. Bon. non habet; ſed eſt neceſſaria, ut ſenſus integer ſit, & Stoicorum placitis uniformis; Ii enim teſte Aug. l. IV. de Civ. Dei cap. XI. dicunt: *Omnia Sydera partes Jovis eſſe, & omnia vivere, atque rationales animas habere, & ideo ſine controverſia Deos eſſe.*

9.

Item paulo ſuperius: *Reſtat*, inquit, *ut motus aſtrorum ſit voluntarius: quæ qui videat,*

deat, non indocte ſolum, verum etiam impie faciat, ſi deos eſſe neget.

10.

Nos vero conſtanter [a] negavimus, ac vos, o philoſophi, non ſolum indoctos, & impios, verum etiam cæcos, ineptos [b], deliroſque probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate viciſtis. Illi enim Solem [c], & Lunam, vos etiam ſydera deos putatis.

a *Nos vero conſtanter negavimus*. Aldus *negabimus* ſcilicet *b* pro *v*. Al. *Nos vero & quidem conſtanter negamus*. Placet ſervare lectionem præteriti temporis; non enim tunc Chriſtiani corpora cœleſtia Deos eſſe negare cœperunt, qui ſemper unum, trinumque ſolummodo Deum, ac Dominum ſe colere profeſſi ſunt.

b *Cæcos, ineptos, deliroſq*. Sic etiam Aldus. Al. *Cæcos, & ineptos*.

c *Illi enim Solem, & Lunam*. Priores Lybiæ Populos non ſtatim ab initio Polytheiſmi adoraviſſe Solem, atque lunam ſimul, & omnia Cœleſtia corpora, teſtatur Herodotus in Melpemone: *ſed ſacrificant Soli, & Lunæ ſolis, quibus omnes Lybiæ Populi ſolent immolare*, Vide diſſ. XXVII.

11.

Tradite igitur nobis ſtellarum myſteria, ut aras, [a] & templa ſingulis erigamus, ut ſcia-

a *Ut aras, & templa ſingulis erigamus*. Sæpe in Scri-

ſciamus, quo quamque ritu *b*, quibus precibus advocemus *c*: niſi forte nullo diſcrimine tam innumerabiles, tam minutos deos acervatim colere debeamus *d*.

Scripturis Sanctis legimus Hebræos idololatrantes ſacrificaſſe *omni militæ cæleſti*. Vidimus in ara marmorea Emi Cardinalis Alexandri Albani inſcriptionem; *Cælo Æterno*. Arrianus teſtatur, Arabas adoraſſe Cælum, quod Herodotus appellat *Vraniam*; & Nilus in actis Ss. Monach. in Sina Cæſorum addit Luciferum; Etiam in tabulis Mithriacis ſeptem Planetas, & Zodiaci figuras obſervavimus, Taurobilio adſtantes; non tamen Aſtris templa, aut aras alicubi erectas fuiſſe memini; forte quia his ſub dio Orientales populi ſacrificare conſueverunt, & minime apud occidentales eorum cultus frequentebatur. Vide diſſ. XXVII.

b *Quo, quamque ritu* Bon. *Quo, quamquae ritu*. Al. addunt. *Quo die, quibus nominibus*. Sed hæc abſunt a noſtro codice Bon., & delentur ab Aldo authoritate Ms. codicis Longobardici.

c *Quibus precibus advocemus*. Vide ad cap. II. hujuſce libri ſeg. 2. & 3. Bon. *vocemus*. male.

d *Acervatim colere debeamus* Aldus. *debemus*. Quod fortaſſe Ethnici conſueverant ob ea, quæ paullo ſupra obſervavimus.

12.

Quid? quod argumentum illud, quod colligunt *a*, univerſa cæleſtia deos eſſe, in contrarium valet? nam ſi deos iccirco eſſe *b* opi-

---

a *Quod colligunt* Al. *quo* Cicer. II. de Orat. *colligere argumenta cauſſarum* eodem ſenſu dixit.

a *Iccirco eſſe* Al. *eſſe idcirco*.

opinantur, quia certos, & rationabiles curſus habent: errant; ex hoc enim apparet deos non eſſe, quod exorbitare [c] illis a præſtitutis itineribus non licet.

c *Exorbitare*. Hocce verbum, quod apud Senecam epiſt. lxxix. germanum Linguæ Latinæ vocabulum putaverat Gruterus, improbavit Grononius; ſed immerito: Sypontinus ſiquidem: *Orbitam*, inquit, *veſtigium rotæ, a quo exorbito fit, quod eſt a recto decedo, & quaſi extra orbitam eo*. Nec erat verbum aptius ad Lactantii ſenſum exprimendum; nam, ut ait Varro apud eundem: Sydera Cæli circa terram, atque axem volvuntur motu orbito.

13.

Ceterum ſi Dii eſſent: huc atque illuc ſine ulla neceſſitate ferrentur [a], ſicut animantes, in terra, quarum quia liberæ ſunt voluntates, huc atque illuc vagantur, ut libuit: & quo mens duxerit, eo fertur.

a *Sine ulla neceſſitate ferrentur*. Al. *Paſſim ſine ulla &c.*

14.

Non eſt igitur aſtrorum motus voluntarius, ſed neceſſarius, quia præſtitutis legibus, officiiſque deſerviunt.

15.

Sed quum diſputaret de curſibus ſyderum, quos ex ipſa rerum, ac temporum congruentia

tia intelligabat non eſſe fortuitos: exiſtimavit voluntarios eſſe, tanquam non poſſent tam diſpoſite, tam ordinate moveri, niſi ſenſus illis ineſſet officii ſui ſciens.

16.

O quam difficilis eſt ignorantibus veritas, & quam facilis ſcientibus. *Si motus*, inquit[a], *aſtrorum fortuiti non ſunt: nihil aliud reſtat, niſi ut voluntarii ſint*. Imo vero ut, non eſſe fortuitos manifeſtum eſt, ita nec voluntarios.

a *Si motus, inquit*, ſubintellige; *Lucilius*.

17.

Quomodo igitur [a] *in conficiendis itineribus conſtantiam ſuam ſervant?* Nimirum Deus univerſi artifex ſic illa diſpoſuit, ſic machinatus eſt [b], ut per ſpatia cæli, divina, & admirabili ratione decurrerent ad efficiendas ſuccedentium ſibi temporum varietates.

a *Quomodo igitur*, Inſtat ex parte Lucilii.
b *Sic machinatus eſt*. Al. *Sic illa &c.* Aldus nobiſcum legit.

18.

An Archimedes Siculus [a] concavo ære [b] ſimilitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ita Solem, ac Lunam compoſuit [c], ut inæquales motus, & cæleſtibus ſimi-

---

a *An Archimedes Siculus*. Geometrarum Princeps Archimedes Syracuſis natus, Cononis Samii diſcipulus, & Jeronis minoris, Syracuſani Tyranni, conſanguineus fuit. De eo Livius, Cicero, Plinius, Plutarchus, aliique tam Græci, quam Latini Scriptores, tanquam de homine divino loquuntur, ut pote cui ſimilem non habuerit antiquitas Cicer. L. I. *Quæſt. Tuſcul. & de Nat. Deor.* L. II. id refert, quod heic narrat Lactantius; gloriaturque, ſe Arpinatem Siculis, quum apud eos Quæſtor eſſet, Sepulchrum Archimedis reperiſſe, vepribus, virgultiſque undique coopertum.

b *Concavo ære*. Sex Empyr. L. VIII. *de Princip. Nat.* Ligneam, non æream hanc ſphæram deſcribit; *Archimedis quidem ſphæram contemplantes, in qua movetur Sol, & Luna, & reliqua Aſtra, non ligna admirantes, nec eorum motum, ſed artificem, & cauſſas, quæ movent*. Claudianus vero vitream eam fuiſſe, tradidit in noto Epigrammate:

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro
Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit &c.

c In quo Solem, ac Lunam compoſuit: Al. *& Lunam*: Cicero L. C. *de Nat. Deor.* ſuis temporibus idem effeciſſe Poſidonium familiarem ſuum tradit; ferturque etiam de Hipparco, Mathematicorum in Græcia celebratorum ſpectatiſſimo. Quamvis de ſphæ-

ſimiles, converſionibus ſingulis quaſi diebus efficerent: & non modo acceſſus Solis, & receſſu[d], vel incrementa, diminutioneſque Lunæ, verum etiam ſtellarum, vel inerrantium[e], vel vagarum[f] diſpares curſus, orbis ille dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari,& efficere,quæ potuit ſollertia hominis[g] imitatione ſimulare?

ſphæræ, quam Armillarem recentiores Mathematici vocant, & qua Aſtronomi utuntur, inventore, adhuc dubitent hiſtorici, nec conveniunt, Atlanti-ne, an Anaximandro; ſeu potius Muſæo laus inventæ ſphæræ tribuenda ſit:

d *Acceſſus Solis & receſſus*: Schottus: *non modo receſſus, ſolis & receſſus*: Bon. *Acceſſus vel incrementa*: reſtituimus ex aliis pene omnibus, verborum ſenſu ſic exigente.

e *Vel inerrantium*; Sic & Aldus emendant, Schottus, aliique plures; & quidem recte, ut eas ſtellas ab aliis diſtingueret; quas Cicero l. c. *infixas certis locis* appellavit.

f *Vel vagarum*. Aldus: *vagantium*.

g *Sollertia hominis*: cum duplici *ll*; in noſtro cod. ſcribitur; quemadmodum hocce vocabulum ſcribendum monent Grammatici. Vide Robert., & Henr. Steph.

19.

Utrum ne igitur Stoicus, ſi aſtrorum figuras in illo ære pictas, effictaſque vidiſſet, ſuo illa conſilio moveri diceret, ac non po-

tius artificis ingenio? Ineſt ergo ſyderibus ratio, ad peragendos meatus ſuos apta: ſed Dei eſt illa ratio, qui & fecit, & regit omnia, non ipſorum ſyderum, quæ moventur.

20.

Nam ſi Solem ſtare voluiſſet, perpetuus [a] dies utique eſſet. Item ſi [b] motus aſtra non haberent, quis dubitaret [c], ſempiternam noctem fuiſſe futuram?

---

a *Nam ſi ſolem ſtrare voluiſſet perpetuus dies utique eſſet.* Bon. *ſi ſol*: Hocce argumentum rident Copernicani; nam ſtante Sole, adhuc viciſſitudo diei, ac noctis, aliorumque temporum, ſibi ſuccedentium, conſtantiſſime fieret, volutante ſe circa Solem tellure, ut ipſi falſo ſibi perſuadent. Vide Diſſ.xxiv.

b *Item ſi*: ita etiam legit Aldus; Al. primam vocem omittunt.

c *Quis dubitaret*. Al. *quis dubitet*.

21.

Sed ut diei, ac noctis vices eſſent, moveri ea voluit: & tam varie moveri, ut non modo lucis, ac tenebrarum mutuæ viciſſitudines fierent, quibus laboris, & quietis alterna ſpatia conſtarent, ſed etiam frigoris, & caloris: ut diverſorum temporum vis, ac poteſtas vel generandis, vel maturandis frugibus conveniret.

22.

Quam ſollertiam divinæ poteſtatis in machi-

chinandis itineribus aſtrorum quia philoſophi non videbant, animatia eſſe ſydera putaverunt [a], tanquam pedibus, & ſponte, non divina ratione procederent.

a *Animalia eſſe ſydera putaverunt.* Omnibus corporibus cæleſtibus animam tribuiſſe etiam Ariſtotelem; teſtatur Plutarchus l. II. *de Plac. Philoſoph.* cap. III.

23.

Cur autem illa excogitaverit [a] Deus, quis non intelligit? Scilicet ne ſolis lumine decedente, nimium cæca nox tetris [b], atque horrentibus tenebris ingraveſceret, nocteretque viventibus. Itaque & cælum ſimul mira varietate diſtinxit: & tenebras ipſas multis, minutiſque luminibus [c] temperavit.

a *Cur autem illa excogitaverit Deus.* Al. *excogitaverit illa.*

b *Tetris.* Bon. *taetris.*

c *Minutiſque luminibus.* Scilicet ob diſtantiam ſic apparentibus; ut minuta eſſe videantur; quamvis corpora ſint molis maximæ.

24.

Quanto igitur Naſo prudentius [a], quam illi, qui ſapientiæ ſtudere ſe putant, qui ſenſit, [b] a Deo lumina illa, ut horrorem tenebrarum depellerent, inſtituta? Is eum li-

a *Naſo prudentius.* Al. *ſapientius.*

b *Qui ſenſit.* Al. *ſent.*

librum, quo Phænomena[c] breviter comprehendit, his tribus verſibus terminavit:

Tot numero, talique Deus ſimulacra figura,
Impoſuit cælo: perque atras ſparſa tenebras
Clara pruinoſæ juſſit dare lumina nocti:

c *Phænomena*. Latinis characteribus in noſtro cod. ſcribitur, cum ſimplici *F*. Hic tamen Ovidii liber periit cum aliis quibuſdam.

25.

Quod ſi fieri non poteſt, ut ſtellæ dii ſint: ergo ne Sol quidem, ac Luna[a] dii eſſe poſſunt, quoniam a luminibus[b] aſtrorum non ratione differunt, ſed magnitudine. Quod ſi hi dii non ſunt: ergo nec cælum quidem, in quo illa omnia continentur[c].

a *Ergo ne Sol quidem, ac Luna*. Al. *nec Sol quidem, nec Luna*. Aldus mallet: *neque Sol quidem, nec luna*.

b *A luminibus*. Aldus præpoſitionem abſtulit.

c *In quo illa omnia continentur*. Hiſce verbis finis imponitur huic capitulo V: ab Iſæo, aliiſque nonnullis, quos ex recenſioribus ſecutus eſt Langlet, & nos etiam ſequimur ad Lectorum commoditatem reſpicientes. Notamus tamen quod codex Longobardicus ab Aldo cum editione ſui Parentis collatus, *nullam habet cap. diſtinctionem*, ut heic ipſe teſtatur.

CAP.

C A P. VI.

1.

SImili modo ſi terra, quam calcamus, quam ſubigimus [a] ad victum, Deus non eſt: nec campi quidem, ac montes dii erunt; ſed ſi hi nec ſunt: ergo ne tellus quidem univerſa Deus videri poteſt [b].

Item

a *Quam ſubigimus*. Al. addunt, *& colimus*: Has voces Aldus delevit.

b *Ergo ne tellus quidem univerſa Deus videri poteſt*. Al. *vocari poteſt*. Terra ſub nomine *Magnæ matris*, aliorumque nominum religioſo cultu venerabantur Ethnici. Aſſyrii autem id primi induxiſſe videntur, de quibus teſtatur Macrob. l. 1. Saturn. cap. XXIII. eos dediſſe rerum omnium poteſtatem duobus Numinibus, Terræ videlicet, & Soli, quod ex Herodoto *in Clio* confirmatur. Lactantius vero l. 1. cap. XXII. ſeg. 28. primum Telluris cultum Meliſſeo, Jovis altori tribuit, eamque Vrani conjugem fuiſſe dicit, ac proinde Rheæ, & Saturni Matrem, ac ipſius Jovis aviam: ideoque non confundendam cum ipſa Rhea, & Opi, ut quidam Mythologi fecerunt ex Auguſt. l. VII. *de Civit. Dei* cap. XIV. Telluris ædes Romæ extructa fuit in area Spurii Caſſii, qui de Regni affectatione ſuſpectus, capite imminutus eſt, collocaturque in quinta urbis regione. Non liquet tamen an hæc illa eadem ſit, quam P. Sempronius Sophus in bello Piceno vovit, & qua Deam Tellurem placaſſe dicit Florus l. 1. Epip. cap. XIX. Vide quæ dixi ad L. 1. c. XXII. Seg. 28. n. (c)

2.

Item ſi aqua, quæ ſervit animantibus ad uſum bibendi, aut lavandi, Deus non eſt: nec fontes quidem [a], ex quibus aqua profluit. Si fontes non ſunt, nec flumina quidem [b], quæ de fontibus colliguntur. Si flumina quoque dii non ſunt: ergo & mare, quod ex fluminibus conſtat, Deus haberi non poteſt.

---

a *Nec Fontes quidem*. Fontibus honorem divinum a Romanis tributum fuiſſe, Fontinalia Sacra teſtantur; in veteri enim Kalend. A. D. III. Idus Octobris habetur: F. FONT N. P. hoc eſt. FESTA *Fontinalia nefaſtus primo*. Ea ex Varrone l. v. de L. L. à *Fonte; quod ille dies feriæ ejus: ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant*. Feſtus *Fontinalia fontium ſacra, unde et Romæ Fontinalis porta*. Scaliger in Conject. ad Varron. notat: Fontinalia eſſe ſacra, & feriæ ejus fontis, cujus delubrum fuerat juxta portam Capænam, unde & ipſa Fontinalis dicebatur.

b *Nec flumina quidem*. Aegyptii nihil in majore honore habebant, quam Nilum, inquit Plutarchus *de Iſide, & Oſiride*, & S. Athanaſ. Contra Gentes. *Alii fluvios, & fontes, omnium maxime Aegyptii aquam præcipue venerati, Deoſque appellant*. Najades autem propriæ Deæ, ſeu Nymphæ in aquis degentes, dicebatur.

3.

Quod ſi neque cælum, neque terra, neque mare, quæ mundi partes ſunt, Dii eſſe poſ-

poſſunt : ergo ne mundus quidem totus Deus eſt [a]: quem iidem ipſi Stoici & animantem, & ſapientem eſſe contendunt, & propterea Deum : in quo tam inconſtantes fuerunt [b], ut nihil dictum ſit ab his, quod non ab iiſdem fuerit everſum.

---

a *Ne mundus quidem totus Deus eſt*. Totus enim Mundus Stoicis Deus erat, ut ſæpe tradidit Cicero tam in IV. *Tuſcul. Quæſt.* quam in Lib. *de Nat. Deor.* Seneca vero *l.* II. *Queſt. Natur.* c. XIV. ait: *Vis Deum mundum vocare? Non falleris; ipſe enim eſt totum, quod vides, totus operibus ſuis inditus, & ſe ſuſtentans vi ſua.*

b *In quo tam inconſtantes fuerunt.* Si Stoicorum de Diis opiniones apud ſcriptores illius ſectæ, aut adverſus eos ſcribentes in unum colligerentur, manifeſte appareret, hoſce philoſophos monſtra finxiſſe, quæ invicem deſtruebatur. Vide Stanlejum *in hiſt. Phil. part.* VII. P. III. c. XVII., & Brucher. hiſt. Crit. Phil. p. II. cap. IX. Sect. 1. n. XXII.

4.

Sic enim argumentuantur : *Fieri non poſſe, ut ſenſu careat, quod ſenſibilia ex ſe generat. Mundus autem generat hominem, qui eſt ſenſu præditus : ergo & ipſum ſenſibilem eſſe.*

5.

Item, ſine ſenſu eſſe non poſſe, cujus pars habeat ſenſum : igitur quia homo ſenſibilis eſt, etiam mundo, cujus pars homo eſt, ineſſe ſenſum.

Pro-

6.

Propoſitiones qnidem veræ ſunt [a], & ſenſibile eſſe, quod ſenſu præditum gignat: & habere ſenſum, cujus pars ſenſu aucta ſit[b]: ſed aſſumptiones [c] falſæ, quibus argumenta concludunt, quia neque mundus generat hominem: neque homo mundi pars eſt.

a *Propoſitiones quidem veræ ſunt*. Propoſitiones more oratorum heic vocantur, quæ a Scolaſticis *Majores* ſyllogiſmorum dicuntur. Græcis προτάσεις

a *Senſu aucta eſt*. I.E. *prædita*. Vide de Opif. cap. XVII. ſeg. 4.

c *Sed aſſumptiones*: Has *minores* vocant. Græcis λήμματα dicitur.

7.

Nam hominem a principio idem Deus fecit, qui & mundum: & non eſt pars mundi homo, ſicut corporis membrum: poteſt enim mundus eſſe ſine homine, ſicut & urbs & domus. Atqui ut domus [a] unius hominis habitaculum eſt, & urbs unius populi: ſic & mundus domicilium totius generis humani. Et aliud eſt, quod incolitur [b], aliud quod incolit. Sed

a *Atqui, ut domus*. In noſtro Bon. Cod. manu recenti additum heic eſt: *Ut quo modo domus*: quam lectionum Aldus ex codice Bon. Longobardico exſcripſit.

b *Quod incolit*. Al. *colit*. Aldus nobiſcum legit.

8.

Sed illi, dum ſtudent id, quod falſo ſuſceperant, confirmare, & ſenſibilem eſſe mundum, & Deum: argumentorum ſuorum conſequenntia [a] non viderunt.

a Al. *Non viderunt argumentorum ſuorum conſequentia*. Al. *Argum. S. conſequentiam non vident*.

9.

Nam ſi mundi pars eſt homo [a], & ſenſibilis eſt mundus, quia homo ſentit: ergo quia mortalis eſt homo, mortalis ſit & mundus neceſſe eſt: nec tantum mortalis, ſed etiam omnibus morbis, & paſſionibus ſubiectus.

a *Nam ſi mundi pars eſt homo*. Quidam, ut infra videbimus, Lactantio obiiciunt, argutandi artem minime calluiſſe; At ego, vel ex hac ſola argumentatione, qua in adverſarios vim argumenti ex utroque extremo fortiſſime retorquet, eum excellentiſſimum non oratorem modo, verum etiam dialectium admiror.

10.

Et e contrario, ſi Deus eſt mundus, & partes ejus utique immortales ſunt: ergo & homo Deus eſt, quia pars eſt (ut dicitis) mundi. Si homo, ergo jumenta, & pecudes, & cætera genera beſtiarum, & avium, & piſcium: quoniam & illa eodem modo ſentiunt, & mundi partes ſunt.

At

11.

At hoc tolerabile eſt: nam & hæc colunt Ægyptii [a]. Sed res eo pervenit, ut ranæ, & culices, & formicæ [b] Dii eſſe videantur, quia & ipſis ineſt ſenſus, & partes mundi ſunt. Ita ſemper argumenta ex falſo petita ineptos, & abſurdos exitus habent.

---

a *Nam & hæc colunt Aegyptii*. Juvenalis Sat. xv. quæ inſcribitur *de feritate Aegyptiorum* a v. 2. de eis ait:

. . . . Crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet ſaturam Serpibus Ibim;
Effigies Sacri nitent aurea Cercopitheci.

Ubi Jo. Brittan. notat, Aegyptios univerſos colere quædam animalia: Scilicet terreſtria Bovem, Canem, & Felem. Ex volatilibus duo: Accipitrem, atque Ibim. Ex aquatilibus pariter duo: Lepidotum, & Oxyrinchum, & alia quam plurima, quæ veluti regionaria ſunt; ut E. g. Ovis, quæ colitur a Saitis, & Thebanis; Latus piſcis Miliacus a Latopelitanis; Capra, & Hircus a Mendeſiis; Mures, & Araneæ ab Athribitis &c. Aelian. l. x. *de Nat. Anim.* c. xix. alios piſces in Hægypto ſacros commemerat, qui Nili adventatem aquam prænunciant.

b *Ut & ranæ, & culices, & formicæ*. Al. *ut ranæ* &c. Aelian. l. xii. *de Nat. Animar.* cap. v. *Ægyptii*, inquit; *quod diverſa animalium genera in Deos referant, & diverſimode colant, multiplex riſus eos conſequitur. At Thebani, natione quidem Græci, riſu obruendi, qui Muſtelam, ut audio, religioſe venerantur, & dicunt Herculi hanc nutricem fuiſſe &c. . . . . Porro mures adorant ii, qui Troadis Hamaxitum*

xitum incolunt ; Vnde Apollinem, qui apud eos maxima Religione eſt, Sminthium appellant, ſicut Æſchylus in Siſypho teſtatur quum ait:

Sed eſt agreſtis, maximuſque Sminthius &c.

12.

Quid? quod iidem ajunt [a], deorum, & hominum cauſſa mundum eſſe conſtructum, quaſi communem domum? ergo mundus nec Deus eſt [b], nec animans, ſi conſtructus eſt: animans enim non conſtruitur, ſed naſcitur. Et ſi eſt ædificatus, ſic utique tanquam domus, tanquam navis: eſt ergo aliquis artifex mundi Deus: & ſeorſum erit mundus, qui factus eſt: ſeorſum ille qui fecit.

a *Quid? quod iidem ajunt*. Al. *iidem ipſi*: ſcilicet Stoici.

b *Ergo mundus nec Deus eſt, ned animans*. Al. *nec mundus Deus eſt* &c.

13.

Jam illud quàm repugnans, & abſurdum? quod qui cæleſtes ignes [a], cæteraque mundi elementa Deos eſſe affirmant: iidem mundum ipſum Deum dicunt: quomodo poteſt ex multorum Deorum acervo unus Deus confici?

Si

a *Quod qui cæleſtes ignes .... iidem &c.* Sic etiam Aldus. Al. *quod cum ...... item*.

14.

Si aſtra Dii ſunt: mundus ergo non Deus, ſed domicilium Deorum eſt. Si vero mundus Deus eſt: ergo omnia illa, quæ ſunt in eo, dii non ſunt, ſed Dei membra, quæ utique ſolius Dei nomen accipere non poſſunt.

15.

Nec enim recte quis dixerit, membra hominis unius, multos homines eſſe; ſed tamen non eſt ſimilis comparatio animalis, & mundi. Animal enim quia ſenſu præditum eſt, etiam membra ejus habent ſenſum, nec niſi a corpore divulſa, bruteſcunt [a].

a *Nec niſi a corpore divulſa bruteſcunt.* Al, *putreſcunt.* Gronovius noſtram lectionem retinet cum Cellario, & immerito reprehenditur ab Heumanno, qui ait: *inconſiderate Cellarium hic Gronovium ſequi, maleque quadrare*: BRUTESCUNT: *neque in ullo codicum id reperiri, niſi in Gronoviano haud vetuſto*. Temere ſane hæc dicta ſunt, quum vetuſtiſſimus Cod. noſter ita legat cum Schotto ex Cæſaraug., aliiſque pluribus tam editis, quam Mss., & Lactantius ſæpe *Tò brutum* ſenſibili opponat; & *bruteſcere*, pro eo, quod eſt, *ſenſum amittere* alibi uſuſpet. Vide l. VII. c. XI. ſeg. 24., ut Bunem: heic ſane, & erudite annotavit.

16.

Cujus igitur rei ſimilitudinem gerit mundus? Nimirum ipſi docent, quum factum eſſe non

non diffitentur, ut eſſet diis, & hominibus quaſi communis domus. Si ergo eſt conſtructus, ut domus, nec ipſe Deus eſt, nec elementa, quæ ſunt partes ejus, quia neque domus habere dominium ſui [a] poteſt, neque illa de quibus domus conſtat.

---

a *Habere Dominium ſui*. Sic Aldus, & plerique bene. Al. *Dominum ſui* peſſime.

17.

Non tantum igitur veritate, ſed etiam verbis ſuis revincuntur [a]. Sicut enim domus in uſum habitandi facta, per ſe nihil ſentit, dominoque ſubjecta eſt, qui eam fecit, aut incolit: ita mundus per ſe nihil ſentiens, factori Deo ſubjacet, qui eum in uſum ſui fecit.

---

a *Sed etiam verbis ſuis revincuntur*. Sic omnino legendum, anteceſſit enim *ipſi docent*, nempe *Stoici*. Male ergo Bonon. *revincitur*.

CAP. VII. AL. VI.

1.

DUplici ergo [a] ratione peccatur ab inſipientibus. Primum, quod elementa, id eſt, Dei opera Deo præferunt: Deinde,

---

a *Duplici ergo*. Schottus *duplici autem*.

de, quod elementorum [b] ipſorum figuras, humana ſpecie comprehenſas [c] colunt.

b *Quod Elementa, id eſt Dei opera, Deo præfe-runt; Deinde*. Hæc verba, ad ſenſum omnino neceſſaria, oſcitans Librarius noſter omiſit.

c *Humana ſpecie comprehenſas*. Bon. *comprehen-ſos*. Albricus Philoſophus *De* hiſce *Deorum imagini-bus* libellum ſcripſit, quem inter Mythographos Latinos edidit, & notis ſuis illuſtravit Munckerus. Idem Italice copioſius præſtiterunt Ripa, & Cartarius. Solis imaginem, ſeu Apollinis ſic deſcribitur ab Albrico. c. IV. *Iſte pingebatur in ſpecie impuberis juvenis, nunc facie puerili, nunc juvenili ſemper imberbis, nunc autem in cana diverſitate apparentis; licet raro tali facie eſſet formatus. Iſte ſuper caput portabat tripodem aureum: in dextra vero manu habebat ſagittas, arcum, & pharetram; In ſiniſtra autem citharam tenebat*. De Lunæ vero, ſeu Dianæ imagine hæc habet cap. VIII. *Diana, quæ & Luna, Proſerpina, Hecate nuncupatur, ultima inter Planetas eſt, propter quod ultima ponitur in numero fictorum Deorum. Ipſa ergo pingebatur in ſpecie unius Dominæ, coma diſſoluta, quæ arcum tenebat, & ſagittam. &c.*

2.

Nam Solis, Lunæque ſimulachra humanum in modum formant: item ignis, & terræ, & maris, quæ illi Vulcanum [a], Veſtam [b], Neptu-

a *Vulcanum*: Vulcani imago, ſeu ignis ex eodem cap. XV. *pingebatur ſimilitudine fabri deformis, & clau-*

ptunum [c] vocant, nec elementis ipſis in aperto litant [d]. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora [e] ducantur illa, quæ vera ſunt: auro ſcilicet, & gemmis, & ebore delectantur.

---

claudi, malleum in manu tenentis, & Deorum impulſu de Cælo in terram decidentis.

b *Veſtam.* ex cap. XVII. ejuſdem libelli habetur: *fuiſſe depictam in formam virginis, infantem ipſum Jovem ſuo ſinu foventem.* Quamvis Artemidorus l. II. cap. XIX. Anus formam ei tribuat. Vide ſupra l. I. cap. XII. a ſeg. 5. Terræ autem imagines diverſas exhibet Monfoconius *Tom.* I. *Antiq. expl.* in quibus illud commune eſt, quod caput habent turritum. Vide Propertium l. IV. XII. v. 52. eam vocat. *Deam Turritam.* Adde Servium ad æn. II. v. 295.

c *Neptunum.* Deus aquarum, & præcipue Maris, inquit Albricus cap. XVI. *Is depingebatur ad modum cujuſdam numinis mare gubernantis. Erat enim ejus imago, homo nudus in mari natans ab unbilico ſupra aquas eminens, & tridentem pro ſceptro regio manu tenens: quo ſaxum quoddam percutiens, æquor quoddam acerrimum producebat.* Pro *æquor. Equum* legere mallem ſi Mss. teſtimonium ſuffragetur.

d *In aperto litant.* Bon. *in elento.* Aldus ex Longobardico: *in compita* ex Taxaq. *in evento aperto.*

e *Ut jam viliora.* Iſæus *cidiora* nullo ſenſu.

3.

Horum pulchritudo, ac nitor præſtringit

oculos [a]: nec ullam religionem [b] putant, ubicunque illa non fulſerint. Itaque ſub obtentu deorum, avaritia, & cupiditas colitur. Credunt enim deos amare, quicquid ipſi, concupiſcunt, quicquid eſt, propter quod furta, & latrocinia, & homicidia quotidie ſæviunt [c], propter quod bella per totum orbem populos, urbeſque ſubvertunt.

Con-

a *Præſtringit oculos*. Al. *perſtringit*. Utraque lectio bona, ut adverſus Manutium, & Lambinum defendunt Heinſius ad Prudent. *Periſteph.* II. 86., & Daviſius ad Minuc. Fel. c. XXIII. Adde Bunem. heic Ex Ciceron. IV. *de finib.* 14. *aciem animarum virtutis ſplendore præſtringitis*. Obſerva hiec, Ethnicos in ſimulacris ſuis juxta Lactantium materiem potius, quam numina religioſe veneratos eſſe.

b *Nec ullam Religionem*. Gallæus etiam ſilentem heic Iſæum ſugillat, & una cum eo Catholicæ Romanæ Eccleſiæ morem circa templorum ornatum, Miſſæ ſacrificium, & ſacras imagines blaſphemando de more carpit, minime intelligens, quantum nos ab Ethnicis diſtemus, quamvis Lactantius manifeſtiſſime heic loquatur de iis, qui ſolam ſimulacrorum materiem ſub obtentu Deorum venerabantur, & a quibus avaritia, & cupiditas colebatur. Vide ſupra cap. IV. Seg. 10.

c *Quod furta, & homicidia, & latrocinia quotidie*. Bon. *cottidie ſæviunt* ſic ſemper: Al. *latrocinia, & homicidia*: Furtum inter, & latrocinium heic bene diſtinquit Lactantius, nam furtum clam, latrocinium palam fit.

4.

Conſecrant ergo diis manubias, & rapinas ſuas [a], quos certe neceſſe eſt imbecilles eſſe, ac ſummæ virtutis expertes, ſi ſubjecti ſunt cupiditatibus.

a *Manubias, & rapinas ſuas*. Manubias dixerunt veteres, ut ſupra notavimus, auri, argentique vim, quam ex divendita præda coacervabant; teſte Nonnio, qui *Manubias*, inquit, *a præda hoc diſtare veteres exiſtimarunt, ut ſit præda, corpora ipſa rerum, quæ capitur: Manubiæ vero, pecuniæ ex præda vendita redactæ*: Interdum tamen res ipſæ hocce vocabulo ſignificabantur. Cicer. Verr. v. 9. *Nonne perſpicuum eſt, Verrem eſſe, qui veſtras villas ſuis manubiis ornet?* Et in hoc ſenſu heic a Lactantio uſurpatur.

5.

Cur enim cæleſtes eos putemus, ſi deſiderant aliquid de terra? vel beatos, ſi aliqua re indigent? vel incorruptos, ſi voluptati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immerito damnatur?

6.

Veniunt igitur ad Deos non tam religionis gratia, quæ nulla poteſt eſſe in rebus male partis, & corruptilibus, quam ut aurum oculis hauriant: nitorem lævigati marmoris [a], aut

a *Nitorem levitati marmoris*. Gallæus hanc ſenten-

aut eboris aſpiciant, ut inſignes lapillis, & coloribus veſtes; vel diſtincta gemmis fulgentibus pocula, inſatiabili contemplatione contrectent [b], & quanto fuerint ornatiora templa, & pulchriora ſimulachra: tanto plus majeſtatis habere creduntur. Adeo religio eorum [c] nihil eſt aliud, quam cupiditas, quam ratio humana miratur.

Hæ

---

tentiam luculenter perſtringere, ait, Papiſtarum idololatriam, additque Arnobii authoritatem ex lib. IV. Tertull. ex cap. XII. Apolog. S. Juſtini Martyr. Apolog. II. pro Chriſt., & Philonis Judæi; nec vidit homo delirus, hoſce Doctores locutos eſſe de illa Deorum religione, in qua nihil aliud erat præter quam id, quod cupiditas humana miratur, ut ſupra Seg. 3. notavimus, & Diſſ. XXVIII. luculenter oſtendimus, ex his præſertim, quæ ſequuntur.

b *Inſatiabili contemplatione contrectent*. Al. *contractent*. Vide *de Op. Dei* I. Seg. 15. *oculis contrectari*: Idem eſt ac *diligenter perſcrutari*.

c *Adeo religio eorum &c* Sic etiam Aldus. Al. *religio Deorum*. Al. *religio aliorum*.

d *Quam cupiditas, quam ratio humana miratur*. Al. *quam quod cupiditas humana miratur* Male; ſenſus eſt enim, quod ratio humana, ſi quis ea bene utatur, mirari debeat, cupiditatem illam homnes ad idololatriam pertraxiſſe; juxta id, quod Apoſtolus ait ad Coloſſ. III. v. 5. *Mortificate ergo membra veſtra ... concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*.

7.

Hæ ſunt religiones, quas ſibi à majoribus traditas, pertinaciſſime tueri, ac defendere perſeverant: nec conſiderant quales ſint, ſed ex hoc probatas, atque veras eſſe confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaque eſt autoritas vetuſtatis, ut inquirere eam, ſceleris eſſe dicatur [a]. Itaque creditur ei paſſim, tanquam cognitæ veritati.

a *Ut inquirere eam ſceleris eſſe dicatur*. Al. *inquirere in eam ſcelus eſſe dicatur*. Aldus. *Scelus eſſe dicatur*. Mendacia, & calumniæ non poterant a Gallæo niſi novis mendaciis, noviſque calumniis fulgiri, iccirco: *Sic etiam*, ait, *fit apud Papiſtas, qui volunt, ut aſſenſum adhibeamus Doctrinæ, in quam inquirere nullo modo licet, nec diſpicere utrum cum Dei Doctrina congruat; & hinc eſt, quod populo S. Scripturæ lectio, tamquam res noxia interdicatur, &c.* Immo ad ſagras Scripturas, ad antiqua Eccleſiaſticæ hiſtoriæ documenta adverſarios ſuos Catholica Eccleſia ſemper provocavit, ut quam falſa ſint, quæ illis Doctores ſui mentiuntur, tandem aliquando cognoſcant. Scripturarum Sanctarum lectione nulli umquam interdixit. Sed depravatos ab hæreticis codices, vel turpiter in vernaculas linguas vulgatos, e fidelium manibus prudenter eripuit; Ut diximus Diſſ. XXIX., ad quam lectorem delegamus.

8.

Denique apud Ciceronem ſic dicit [a] Cot-

a *Sic dicit*: Deſunt hæc in noſtro Cod. Bon.

ta Lucilio [b]: *Habes Balbe, quid Cotta, quid pontifex ſentiat, fac nunc ego intelligam, quid tu ſentias; a te enim philoſopho rationem religionis accipere debeo: Majoribus autem noſtris, etiam nulla ratione reddita rationis eſt credere* [c].

---

b *Cotta Lucilio*. Al. *Lucillo*. Jam ſupra ad Cap. v. diximus, Lucilium Stoicum a Cicerone in Dialogis inductum, eſſe Lucilium Balbum. Cotta vero quem heic laudat, eſt Cajus Aurelius Cotta, unus de Collegio Pontificum, de quo L. 1. *de Nat. Deor.* Tullius tamquam de Academicæ ſectæ, apud Romanos principe, locutus eſt.

c RATIONIS, EST CREDERE *Tò rationis* noſter Cod. non habet. *Nec in Ciceronianis Codicibus apparet.* Nos ex aliis fere omnibus retinuimus.

9.

Si credis [a]: cur ergo rationem requiris, quæ poteſt efficere, ne credas? Si rationem quæ-

---

a *Si credis, cur ergo rationem requiris. Fides ex auditu; Auditus autem per verbum Chriſti:* inquit Apoſt. ad Roman. x. ℣. 17. cui fides, ut certa ſit, & divina, inniti debet; ſi autem hominum teſtimonio credat, tunc humana eſt, & falli poteſt; utrique tamen ſcientia, quæ per demonſtrationem procedit, quodammodo opponitur; & quamvis in eodem intellectu bene componi poſſit habitus utriuſque; non tamen actus unius cum actu alterius de eadem ipſa re ſimul eſſe poſſunt; Non enim fieri poteſt, ut credamus actu, quod actu

quærendam putas: ergo non credis [b], ideo enim quæris, ut eam ſequaris, quum inveneris [c].

actu ſcimus, aut oculis noſtris videmus. Optime ergo Lactantius. *Si credis*, inquit, *cur rationem quæris, quæ* ratio *efficere poteſt ne amplius credas?* Siquidem vel ratio plene intellectum imbuit,& omnem ab eo dubitandi formidinem manifeſta demonſtratione abigit, & tunc ſcientia, non fides aſſenſum extorquet; Vel eum ita diſponit, ut nequeat uni parti adherere, quin de contraria dubitet, aut formidet, & tunc nec ſcientiam habet, nec fidem; ſed mera opinione, aut dubio tenetur anceps, & tamquam fluctibus continuis varietatum viciſſitudinibus agitatur. Hoc vellem intelligerent ii, qui extra Catholicæ Eccleſiæ mœnia diſcurrunt: ipſi enim gravi cæcicate laborantes a recta credendi methodo abberrent neceſſe eſt, quum rerum credendarum, argumento non apparentium, rationes quærant, nec fidem præbeant Chriſto dicenti Petro, & ſucceſſoribus ejus: *Ego dico tibi, quia tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* &c. Matth. XVI.℣.17. Si autem rationes quærerent,quibus ad veram Chriſti Eccleſiam reduci poſſent, obviæ hæ ſunt, & facile eis veritatem manifeſtabunt,ſi ſerio unde hominum fallaciis irretiti,non ſine graviſſimo animarum diſpendio, receſſerunt, advertant. Fidei divinæ dono ſe ſpoliatus eſſe vel ex eo noſcere debent, quod jam opinionibus variis in ſectas propemodum innumeras hactenus diſtracti abierunt. Iis ergo repudiatis, in quibus veritas omnino eſſe non poteſt, ad eam Eccleſiam confugiant, quæ eſt una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, firmiſſime credentes, hanc unice illam

eſſe,

eſſe, quæ *columna*, *& firmamentum eſt veritatis* 1. ad Timoth. III. ℣. 15. ab Apoſtolo nuncupatur.

b *Si rationem quærendam putas, ergo non credis*; Al. *ſi vero rationem requiris, & quærendam putas* &c. Nempe rationem credendarum rerum; ſatis enim eſſe debet credenti, Deum ea revelaſſe, quæ ab Eccleſia Catholica, ut credenda proponuntur. Schottus. *Sin rationem requiris.*

c *Ideo enim quæris, ut ſequaris quum inveneris*: Ergo nondum inveniſti. Quandiu igitur ab hac animi fluctuatione te jactari permittis, quum tibi ſemper portus apertus occurrat; quem ſi ingrediaris, ſtatim tempeſtas iſta reſidet? At ſi Petri navem non conſcendas, in portum hunc venire non poteris.

10.

Docet ecce te ratio, non eſſe veras deorum religiones[a]. Quid facies? majores ne potius; an rationem ſequeris? quidem tibi non ab alio[b] inſinuata, ſed a teipſo inventa, & electa eſt[c], quum omnes religiones radicitus eruiſti.

Si

a *Deorum religiones*, Al. *religiones Deorum*.

b *Quæ quidem tibi non ab alio*. Sic etiam Aldus, qui negationem reſtituit quam Alii omiſerant.

c *Sed a te ipſo inventa*; *& electa eſt.* Aldus nobiſcum legit. Cicero in libris *de Natura Deorum* fortiſſimas rationes invenit, quibus manifeſte convinci debuit, falſas eſſe Deorum religiones; nuſquam tamen veram aſſeruit, utpote quæ non ratione humana, ſed divino lumine innoteſcit. Al. pro *electa*, legunt *elata*. Schottus, aliique multi, & meliores noſtram lectionem ſunt ſecuti. Al. effecta.

11.

Si rationem mavis, diſcedere te neceſſe eſt ab inſtitutis, & authoritate majorum: quoniam id ſolum rectum eſt, quod ratio præſcribit. Sin autem pietas majores ſequi ſuadet: fatere igitur [a], & ſtultos illos fuiſſe [b], qui excogitatis contra rationem religionibus ſervierint [c], & te ineptum, qui id colas, quod falſum eſſe convinceris [d].

a *Sin autem pietas majores ſequi ſuadet, fatere igitur &c.* Al. *fateris*. Bunem. tribuit noſtro Bon. Cod. hanc lectionem: *Sin autem veritas major eſt, quæ ſuadet*. Sed errat, quum clariſſime ibidem legatur, ut nos edidimus. Nec Tomaſius noſtri codicis heic lectionem ſequitur, ſed alterius, nempe Longobardici, ut ex Aldi annotatione novimus.

b *Et illos ſtultos fuiſſe*. Al. *fuiſſe ſtultos*. Merito Lactantius Ciceronem ſic arguit; ſæpe enim Cicero, præſertim in laudatis libris de *Nat. Deoaum* ſtultos aſſeruit Deorum cultores, & exploratum, certumque eſt, eum eſſe ineptum, qui id tamquam Deum colit, quod chimæricum eſſe cognoſcit.

c *Servierint*. Aldus *ſervierunt*.

d *Convinceris*. Aldus: *conviceris*.

12.

Sed tamen quoniam nobis tantopere majorum nomen opponitur: videamus tandem [a], qui

a *Videamus tandem, qui fuerint Majores illi, a quorum authoritute diſcedi nefas dicitur*. Aldus *videamus*

qui fuerint majores illi, a quorum authoritate diſcedi nefas ducitur.

mus tamen. Optimum conſilium eſt de religione ſua dubitantibus ad originem illius retrorſum aſcendere; nam ſi ab hominibus, non autem a Deo, tamquam ex fonte, ſcateat, falſam eſſe neceſſe eſt. Docente Apoſtolo ad Galatas. 1. ℣. 8. *Licet nos, aut Angelus de Cælo Evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et iterum ibidem ℣ 9. *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Videant ergo Romanæ Eccleſiæ hoſtes unde hauſerint aquam, quam bibunt; quum nos certi ſimus, eam deſcendere de fontibus Salvatoris, quæ uberrime ab Eccleſia, Chriſti ſponſa, potatur, nobiſque gratis ab eadem tutiſſime, ac fideliter tribuitur. Pro *qui fuerint*. Cod. Bon. habet *quid fuerit*: male.

13.

Romulus [a] urbem conditurus, paſtores, inter quos adoleverat, convocavit, quumque his numerus colendæ urbi parum idoneus videretur: conſtituit aſylum [b]. Eo paſſim confu-

a *Romulus*. De eo vide, quæ a nobis dicta ſunt L. 1. cap. xv. ſeg. 32.

b *Conſtituit aſylum*. Romulus poſtquam, ut inquit Florus L. 1. c. 1. *imaginem Urbis, magis, quam Urbem fecerat: incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Aſylum fecit, & ſtatim mira vis hominum, Latini, Tuſcique Paſtores. Quidam etiam transmarini: Phryges, qui ſub Aenea, Arcades, qui ſub Evandro Du-*

fugerunt ex finitimis locis peſſimi c quiſque ſine ullo conditionis diſcrimine.

Duce influxerant. Ita ex variis, quaſi elementis, congregavit corpus unum; populumque Romanum ipſe fecit. Aſylum autem, confugium dicitur, a quo aliquem, etſi nocentem, abſtrahere, nefas erat. De hocce Romuli Aſylo vide Conradum ad cap. 1. Sexti Aurel. victor. *de Vir. Illuſtr.* Magium *ad Æmilium Probum*, & Jacob. Durantium *L.* 1. *Variar. lect. cap.* 1.

c *Ex finitimis locis peſſimi.* Primum Cadmus, dum Thebas conderet, Græcis Aſylum ibidem paraſſe dicitur, ad quod fugientes ſervi, aut liberi, ab omni pæna, quam meruiſſent, erant impunes. Nonnulli a prognatis Herculis primum Aſylum conſtitutum fuiſſe tradunt Athenis. Æſim Picenæ gentis, quondam regem idem feciſſe ſuſpicantur alii, ex eo quod Silius Italicus Punic. VIII. ℣. 447. de eo ait:

. . . . . . *Et a ſeſe populos tum dixit Aſylos.*

Seu potius *Aſilos*. Hoc tamen certum eſt Romulum, aliorum exempla ſecutum, iis omnibus Aſylum ſuum aperuiſſe, quos ſua ipſorum facinora, & finitimorum odia a propriis Urbibus arcebant, ideoque inter eos peſſimi, ut heic teſtatur Lactantius, fuiſſe jure, meritoque dicuntur. Omnes enim ibidem recipiebantur, *Neque*, ut Plutarchus in Romulo ait: *ſervum domimis, nec creditoribus nexum, nec Magiſtratibus debebant homicidam: Verum inviolatum locum ex Oraculo Apollinis præſtare ſe aſſerebant.* Oh ſi Remonſtrantes, iique omnes, qui inter Romanæ Eccleſiæ adverſarios Reformati, & Novatores audiunt, atque Hæretici omnes, paullo altius ſuarum ſectarum initia perquirerent, non alios certe illarum anteſignanos reperirent, quam perfugas nequiſſimos, qui ſibi ſimiles, alioſ-

aliosque incautos, vitiorum illecebris, ac libertate adſcitos, adverſus legum ſanctarum vindices compararunt. Vide diſſ. xxxi.

14.

Ita conflavit ex his omnibus populum: legitque in Senatum eos, qui ætate anteibant, & patres appellavit, quorum conſilio gereret omnia: de quo Senatu Propertius [a] elegiarum ſcriptor hæc loquitur:

Curia, prætexto [b] quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.
Buccinacogebat priſcos ad verba quirites.
Centum illi in prato ſæpe Senatus erat [c].

a *Propertius elegiarum ſcriptor*. Bon. *Elegiacor ſcribtor* forte *Elegiacorum*. Is eſt ſextus Aurelius Propertius, de quo vide quæ diximus diſſ. xl.

b Curia Prætexto &c. Priora hæc duo carmina ſequentibus in noſtro Cod. ſunt poſtpoſita; ut etiam de ſuo Codice teſtatur Schottus, & Aldus de Longob.

c Sæpe Senatus erat. Broukhuſius ad h. Propertii locum legendum putat *erant*. Nos vero hanc lectionem nullibi vidimus,

15.

Hi ſunt patres, quorum decretis eruditi, ac prudentes viri devotiſſime ſerviebant [a] idque

a *Devotiſſime ſerviebant*. Bon. *ſervibant*. Al. *ſerviunt*.

que verum, atque immutabile [b] omnis poſteritas judicet [c], quod centum pelliti ſenes [d] ſtatutum eſſe voluerunt, quos tamen (ut in primo libro dictum eſt) Pompilius [e] illexit, ut vera crederent eſſe ſacra, quæ ipſe tradebat.

Eſt

---

b *Idque verum, atque immutabile*. Al. *ac inmutabile*.

c *Omnis poſteritas judicet*. Sub intellige *oportet* per relationem ad Ciceronis ſententiam, de qua ſupra Seg. 8. Al. *judicat*. Buneman. tunc *judicet* facilius tollerari poſſe putat, quando nota ſuperiori legas *ſerviant*. Sed hæc periodus ab illa non dependet. Ibi enim Lactantius loquitur de eo, quod ab antiquis Romanis factum eſt; heic de poſteritate ſermo inſtituitur, cui ex illorum decretis legem certam, & immutabilem imponi, Cotta arbitrabatur, *etiam nulla reddita ratione*.

d Centum pelliti senes. *Pellitos patres* in carminibus heic a Lactantio laudati dixit Propertius, ad ſignificandos Paſtores illos, pellibus protectos, ex quorum numero centum *Senatores*, ab ætute ſenili, a pietate vero *Patres*, appellari voluit ipſe Romulus, qui conſilio illorum in condendis legibus uſus eſt.

e *Pompilius illexit, ut vera eſſe crederent ſacra, quæ ipſe tradebat*. Bon. *inlexit*. Al. *ut vera crederent eſſe ſacra*. Ad lib. 1. cap. xxii. diximus, quomodo Numa Pompilius, primus poſt Romulum Romanorum Rex, inductis variarum Gentium ritibus, atque Numinibus, populum ferocientem in Civitatem compoſuit, eiſque perſuaſit, id a ſe factum eſſe juſſu Egeriæ Nymphæ conjugis ſuæ. Schottus: *intellexit*.

16.

Eſt vero, quod illorum [a] authoritas tanti habeatur a poſteris, quos nemo, quum viverent, neque ſummus, neque infimus affinitate dignos [b] judicavit.

---

a *Quod illorum authoritas*. Al. *cur illorum* &c. Al. *Aſt vero cur*. Noſtra lectio elegantior, & Ciceroni frequentior. Sic legit etiam Schottus ex ſuo C. Codice.

b *Affinitate dignos*. Bon. *adfinitate*. Quum enim per legatos a finitimis populis conjuges ſuis ſociis dandas, Romulus petiiſſet, omnes, illas ſe eis daturos denegarunt. Vide Aurel. Vict. in Romul. Cap. 1. de V. Ill., & a pleriſque legati dimiſſi ſunt rogitantibus: *Ecquid non fœminis quoque aſylum aperuiſſent? Id enim demum compar connubium fore*. Teſte Livio dec. 1. L. 1. c. 4.

CAP. VIII. AL. VII.

1.

QUare oportet, in ea re maxime, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quenque confidere, ſuoque judicio, ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam, & perpendendam veritatem [a], quam credentem alie-

---

a *Suoque judicio, ac propriis ſenſibus niti, ad inveſtigandam, & perpendendam veritatem*. Quidam apud Bunem. Lactantium heic accuſant, ut rationi hu-

alienis erroribus [b], decipi, tanquam ipſum rationis expertem.

---

humanæ nimium tribuentem. Alii antem ita hac ſententia abutuntur, ut velint humanæ rationi unice obtemperandum eſſe, tamquam regulæ infallibili omnium noſtrarum operationum. Utrique tamen errant, ut oſtendimus in Iſagoge noſtra §. xx., & diſſ. xxvii. ad quam lectorem noſtrum ablegamus.

b *Quam credentem alienis erroribus*. Schottus *ſubaudi* inquit *potius*; ſed & alii hanc particulam addiderunt, quam tamen non eſſe neceſſariam diximus ad lib. I. cap. III. ſeg. 7. Nam non raro *quam* pro *potius quam* adhibet Lactantius, Cornelio Nepote præeunte, qui in *Datame* n. 8. *Hæc*, inquit, *etſi Autophradates ridebat, tamen ſtatui congredi, quam cum tantis copiis reſurgere, aut tam diu uno loco ſedere*. Adde Neum: & Bunem: qui pluribus hanc lectionem tuentur, cum Anton. Auguſt., aliiſque pluribus.

2.

Dedit omnibus Deus pro virili portione, ſapientiam [a], ut & inaudita inveſtigare poſ-

 ſent,

---

a *Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam*. Virilis portio idem valet, ac pars, quæ unicuique contingit. Ovidius Triſt. l. v, Eleg. xi.

Jure igitur laudes, Cæſar pro parte virili
Carmina noſtra tuas qualiacumque canunt.

Cicero pro Sextio *Hæc, qui pro virili defendunt, optimates ſunt*. Sic Tacitus, Mamertin: Macrob. At alii apud Betulejum, & Iſæum cum I. C. putant, *viriles portiones* eſſe partes æquales, quæ pro numero

ſent, & audita perpendere[b]. Nec quia nos[c] illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſserunt: quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt[d].

Illi-

---

ro perſonarum, & *in capita*, ut ajunt, conſtituuntur. Quaſi Lactantius diceret, Deum dediſſe ſingulis hominibus portionem æqualem illius luminis, quod ſuper nos ſignatum eſſe Pſal. IV. v. 7. docemur. Confirmantque hoc ex ſequentibus Lactantii verbis, quibus ait; *quæ ſi æqualiter datur &c.* Sed adverte *Tò æqualiter* eſſe adverbium qualitatis, non quantitatis, & idem valere heic ac *indiſcriminatim* ex eodem Lactantio l. III. c. XXV. ſeg. 2. ubi hanc ſententiam ſic exponit; *Si Sapientia homini data eſt, ſine ullo diſcrimine, omnibus data eſt, ut nemo ſit, qui eam capere non poſſit*. Quo ſenſu veriſſima eſt, & parobolæ illi, quæ habetur Matth. XXV. v.15. conſonat, in qua dicitur; homo quidam, peregre proficiſcens, dediſſe ſervis talenta, *uni quinque, alii duo, alii vero unum; unicuique ſecundum propriam virtutem*: Vide expoſitores ad illud Sapient VI. v. 8. *Æqualiter cura eſt illi de omnibus*.

b *Ut & inauditita inveſtigare poſſent, & audita perpendere*. Bon. *ut & inaudita perpenderent*.

c *Nec quia nos*. Iſæus *vos*.

d *Occupari ab antecedentibus non poteſt*. Id eſt, ita, ut exhauriatur, & nihil pro aliis remaneat, ut Seneca ait Epiſt. XXXIII. *Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa, etiam futuris relictum eſt*.

3.

Illibabilis eſt, tamquam lux a, & claritas ſolis, quia, ut ſol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani.

a *Illibabilis eſt, tamquam lux*. Bon, *Inlibabilis*. Al. *inlabilis*. Idem valet, ac *ne leviter quidem minui poteſt, quatnmvis cum pluribus communicetur*. Delibatum enim eſt, quod ab alio ſumitur, & propagatur ſine illius læſione, ut lumen a lumine accenditur: teſte Gronov. ad Senecæ Epiſt. LXXXIII. *Vox iſta* inquit Walchius, maxime rara eſt; ſed quæ rem optime explicat: Livius: *illibatum imperium* l. III. c. 6. Valer. Max. *Virginitas illibata* VI. 1. 4. &c.

4.

Quare quum ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum: ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio a, inventa majorum probant, & ab aliis, pecudum more, ducuntur.

 Sed

a *Qui ſine ullo judicio . . . . . . pecundum more ducuntur*. Ideo Eccleſia Catholica crebro Concilia Epiſcoporum cogere conſuevit, quoties mos aliquis, aut vox, aut ſententia, aut ritus ad religionem pertinens ab aliquibus nove induci cognoverit, quod ab Apoſtolis accepiſſe eorum acta teſtantur. Quare deſipuiſſe videtur Gallæus, quum heic ait: *Notent hæc verba Papiſtæ, quando volunt traditiones ſuas a populo cæca obedientia obſervari*. Quaſi quilibet de plebe liber eſſe deberet, ut pro libito in religionis materia decerneret, & non potius munus eſſet Epiſcoporum, Doctorumque, quos, ut habetur Act. XX. 28. *poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam*. Vide Diſſ. XXX.

5.

Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut, aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur [a]: aut illi deſipuerint, quia majores nominantur [b].

---

a *Quia minores vocantur*. Id eſt, poſteri, ad quos deſignandos nomina propria deficiunt; non enim hocce vocabulum uſurpari debet ad ſignificandos filios, aut nepotes tantum; ſed ad quoſcumque eorum ſucceſſores denotandos. Quare optime Servius ad Virg. l. VIII. v. 268.

........*lætique Minores*
Servavere diem:

Nove, inquit, *& ſatis licenter*, MINORES DIXIT, *quum ab ipſo Evandro, Herculem, conſtet eſſe ſuſceptum &c.* Vide etiam Rigaltium ad Juven. Satyr. I. v. 148.

b *Majores nominantur*. Eadem dic, proportione ſervata, ut ibidem idem annotat Servius.

6.

Quid ergo impedit, quin [a] ab ipſis ſumamus exemplum, ut quomodo illi, quæ falſa invenerant [b], poſteris tradiderunt: ſic nos qui

---

a *Quid ergo impedit quin*. Quamvis eleganter dicitur *impedire ne*, aut *quo minus*; tamen etiam *impedire quin* Latini dixerunt. *Terentius in Andria v. 6. 7. Nec mora ulla eſt, quin eam uxorem ducam*: ex Bunem. Heic tamen uſurpatum eſt a Lactantio pro *quin etiam*.

b *Quæ falſa invenerat*. Al. *qui falſa*.

qui verum invenimus , poſteris meliora tradamus c ?

c *Sic nos , qui verum invenimus , poſteris meliora tradamus .* Officium hominis bene inſtituti eſt , bona inventa cum aliis communicare ; invidi autem eſt ea obſcondere , ſibique ſoli ſervare . At falſa pro veris , dubia pro exploratis , probabilia pro certis tradere non niſi ignorantis eſt , aut impoſtoris . Quæ autem vera in Religionis materia dici debeant : vide Diſſ. XXVII , & XXIX.

7.

Supereſt ingens quæſtio , cujus diſputatio non ab ingenio , ſed a ſcientia venit : quæ pluribus explicanda erit, nequid omnino dubium [a] relinquatur . Nam fortaſſe aliquis ad illa confugiat [b] , quæ a multis , & non dubiis traduntur authoribus : Eos ipſos , quos docuimus , deos non eſſe, majeſtatem ſuam perſæpe oſtendiſſe & prodigiis , & ſomniis , & auguriis , & oraculis .

a *Ne quid omnino dubium* . Al. *dubium omnino* . Vide infra l. III. cap. II. ſeg. 3. per quid ſcientia differt ab ingenio .

b *Nam fortaſſe aliquis ad illa confugiat &c.* Omnium Sectarum conditores noverunt , motiva credibilitatis neceſſaria eſſe ad hoc, ut ſecundum prudentiæ regulas aſſenſus fidei detur dogmati cuicumque propoſito , quod rationibus demonſtrari non poſſit ; inter quæ motiva , miracula , a Deo patrata , in confir-

firmationem myſteriorum revelatorum, locum habent præcipuum. *Deus enim ſignis loquitur*. Hinc etiam Ethnici ad opera quædam mirabilia, quæ a ſola Dei potentia fieri poſſe perperam putabant, confugere conſueverunt, argumentorum vi de falſitate ſuorum Numinum, ſuarumque cerimoniarum iniquitate, convicti. Hos heic occupat Lactantius, & quatuor eorundem operum genera ſibi examinanda conſtituit; nempe Prodigia, Somnia, Auguria, & Oracula, de quibus ſingillatim agimus. Diſſ. xxvi.

8.

Et ſane multa enumerari poſſunt digna miraculo, in primis illud, quod Accius Nævius [a] ſummus Augur, quum Tarquinium Priſcum [b] moneret, ut nihil novi facere inciperet [c], niſi prius eſſet inauguratus [d], eique rex

a *Accius Nævius*. Sic etiam Aldus. Al. *Navius*. Al. *Decius Attius Navius*. Nos lectionem noſtri codicis, retinemus quæ eſt Dionyſii Alicarn. l. III. Antiq. ubi ait. *Nomen ejus eſt Nævius*, *cognomen Accius*. Variant omnes Scholiaſtes ad Liv. l. I. c. 26. Ad Aurel. Vict. de V. Ill. VI. 7. Ad Val. Max. I. IV. Ad Apulej. *de Deo Socr.* pag. 48. His reſpondet Lactantius infra cap. XVII. à ſeg. 10.

b *Tarquinium Priſcum*. De eo diximus ad l. I. c. XX. Seg. 38., & ibidem cap. VI. Seg. 10.

c *Moneret, ut nihil novi facere inciperet*. Bon. *facere incipere*. Al. *commoneret*. Al. *admoneret*. Al. *Tò facere* non habent.

d *Inauguratus* id eſt: *Avibus non inſpectis*. Liv. l. I. c. XXXVI. *Id, quia inaugurato Romulus fecerat, ae-*

rex, artis ejus elevans fidem, diceret, ut conſultis avibus renunciaret ſibi, utrumne fieri poſſet id, quod ipſe animo concepiſset: affirmaretque Nævius, poſſe; accipe igitur, inquit, hanc cotem, eamque novacula, diſſice, at ille incunctanter accepit, ac ſecuit.

negare Accius Nævius, inclytus ea tempeſtate augur, neque mutari, neque novam conſtitui, niſi aves addixiſſent, poſſe.

e *Accipe igitur*, inquit, *hanc cotem, eamque novacula diſſice*. Al. *cape igitur hanc*, inquit, *coten ..... diſſice*. Al. *incide*. Liv. ubi ſupra: *Agedum*, inquit, *Divine*; *Tu inaugura*; *fieri ne poſſit, quod nunc ego mente concipio*.

9.

Deinde illud, quod Caſtor, & Pollux [a] bello Latino [b] apud lacum Juturnæ viſi ſunt equorum ſudorem abluentes, quum ædes eorum, quæ juncta fonti erat, ſua ſponte patuiſſet.

a *Caſtor, & Pollux*. De his locuti ſumus ad lib. I. x. 5.

b *Bello Latino apud Lacum Juturnæ*. Sic omnino cum aliis omnibus legendum, quamquam Bon. antiquior, & alter Longobardicus habent *Lacum Saturni* Gronovius ad Minuc. Fel. c. VII. hanc hiſtoriam ad bellum Macedonicum cum Floro l. II. c. XII. rectius referre viſus eſt Bunemanno, qui propterea: *Lapſus ergo eſt*, inquit, *Lactantius*. *Quomodo enim bello La-*

tino

tino ædes Caſtorum potuit patere , quæ poſt id bellum demum a Poſtumio dedicata eſt ſecundum Ciceronem l. III. *de Nat. Deor. Liv. II.* c. 42. Dionyſ. c. I. Non tamen Lactantii ; ſed Criticorum lapſum heic deprehendo ; quia ædes illa , quam Aulus Poſtumius bello Latino vovit , & Filius ejus dicavit , teſte Livio , ubi ſupra , ſita erat in Foro Romano , eamque vetuſtate collapſam ex hoſtium manubiis reſtituiſſe dicitur L. Mecellus , qui Dalmaticus dictus eſt . Iſta vero , de qua Lactantius loquitur , & quidem longe vetuſtior , Juturnæ fonti juncta fuit , qui fonſ ex Servio ad Virg. æn. XII. v. 139. prope Numicum fluvium oriebatur, cui a juvando Juturnæ nomen dederant , & Romam inde aqnam afferri ad omnia ſacrificia mos erat . Vide Roſin. L. II. C. XIII. Cic. L. I. *de Divin.* de alia æde Caſtoris, & Pollucis, Tuſculi erectam meminit .

10.

Iidem bello Macedonico[a] equis albis inſidentes P. Vatieno [b] , Romam nocte adveni-en-

a *Iidem Bello Macedonico* : L. Florus L. II. c. XII. Valer. Max. l. I. c. VIII. , aliique eadem narrant , tamquam Deorum miracula , & prodigia .

b *P. Vatieno* . Bon. *Atieno* . Al. *Vatino* . Al. *Velieno* . Variant omnes hiſtoricorum codices in hocce nomine , ideoque retinuimus lectionem noſtro codici proximiorem , & Ciceroni uſitatam l. II. , & III. de N. D. , receptamque ab Harduino ad Plin. l. VII. XXII. Adde Plutar in Æmilio , & Lact. infra cap. XVII. II. Si fas eſſet legerem *Atinio* i. e. ex oppido Latinorum, quod Atina dicebatur . Virgil. VII. Ae. v. 630. *Acer Atinas* .

c *Romam nocte advenienti* . Al. *venienti* .

enti [c], ſe obtuliſſe dicuntur, nunciantes, eo die [d] Regem Perſen victum, atque captum [e], quod paucis poſt diebus literæ Paulli [f], verum fuiſse, docuerunt.

---

d *Dicuntur, nunciantes eo die*. Al. *nunciaſſe eo die* Noſtra lectio hiſtoriæ conformior, & elegantior.

e *Regem Preſen victum, atque captum*. Hiſtorici rerum Romanarum Livius, Plutar., Florus, Val. Max. minime hæc omnia eadem die acta, & nunciata eſſe, narrant; Cicero tamen expreſſe de his ait l. II. de Nat. Deor. *Tyndaridæ Perſen victum nunciavere; P. enim Vatienus .... Quum a præfectura Reatina Romam venienti noctu juvenes cum equis albis dixiſſent, Regem Perſen illo die captum, Senatui nunciavit*.

f *Literæ Paulli*: Scilicet cum duplici liquida bene ſcribitur, monente Scauro Veteri Grammatico, ut notavit Schottus ad Victor. de Vir. Illuſtr. Cap. LVI. Iſte vir, vere ſummus, Lucius Paullus Æmilius, filius fuit ejus, qui apud Cannas cecidit. Is quum ſecundum Coſ. eſſet, Perſen, ſeu Perſeum, Philippi filium, Regem Macedonum apud Samothracas in Inſula Ægei Maris ſe Romanis dedere, captis dolo filiis ejus, coëgit; eumque victum, & captum flevit, & ſibi aſſidere juſſit; ſed poſtea in triumphum duxiſſe Romam, idem Victor l. c. tradit.

11.

Illud etiam mirabile, quod ſimulachrum Fortunæ muliebris [a] non ſemel locutum eſse tra-

---

a *Simulacrum furtunæ muliebris*. Fortunam non ſolum muliebri forma indutam fingebant, ſed etiam virilem, &

traditur: item Junonis Monetæ[b], quum captis Veiis unus ex militibus ad eam transferendam miſsus, jocabundus, ac ludens interrogavit[c], utrum ne Romam migrare vellet: velle reſpondit[d].

Clau-

& Maſculam nominabant Romani, ſive quod viros puellis aſſignare eam putabant, ſive etiam quia virili habitu, & nomine illam veteres donaverant. De utraque diximus ad l. III. cap. XXIX. ſeg. II. De hoc vero quod narrat Lactantius, hæc Valer. Max. habet l. I. cap. VIII. n. 4. *Fortunæ etiam muliebris ſimulacrum, quod eſt in Latina via ad quartum Milliarium, eo tempore cum æde ſua conſecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternæ preces repulerunt, non ſemel, ſed bis locutum conſtitit, prius his verbis: Rite me Matronæ vidiſtis, riteque dedicaſtis.*

b *Item Junonis Monetæ.* Bon. *monitæ*. Sic legit etiam Aldus. Tullius lib. I. *de* Divinatione: *Scriptum*, inquit, *a multis eſt, quum terræ motus factus eſſet; ut ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce extitiſſe: quocirca Junonem illam appellatam Monetam*. At Livius l. VII. decad. I. cap. olim 28. nunc XX. Ædem Junoni Monetæ L. Furium dictatorem bello Arunco inter ipſam dimicationem voviſſe, eamque eractam fuiſſe in arce tradit, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat, memoriæ tradidit.

c *Jocabundus, ac ludens interrogavit.* Al. *interrogaret*. Livius dec. I. l. V. cap. olim 22. nunc XII. *Deinde quum quidam, ſeu ſpiritu divino tactus, ſeu juvenili joco: Vis ne Romam ire, Juno, dixiſſet, annuiſſe cæteri Deam conclamarunt. Inde fabulæ adjectum eſt, vocem quoque dicentis. Velle auditam.*

d VELLE *reſpondit.* Al. *reſpondit velle.*

12.

Claudia quoque [a] proponitur in exemplum [b] miraculi. Nam quum ex libris Sibyllinis Idæa mater [c] eſset accita, & in vado Tyberini fluminis navis, in qua vehebatur hæſiſſet, nec ullo modo, aut ulla vi commoveretur: Claudiam, ferunt, quæ ſemper impudica eſset habita ob nimios corporis cultus, deam ſubmiſſis genibus oraſſe, ut, ſi ſe caſtam judicaret, ſuum cingulum ſequeretur [d]: ita navem [e], quæ ab omni juventute non

a *Claudia quoque*: Hanc Matronam Romanam fuiſſe, cui inſigne *Claudiæ Quintæ* nomen, nartat Livius decad. III. l. IX. cap. olim 14. nunc XII. Cætera, quæ heic a Lactantio dicuntur, habes apud Silium Italicum lib. XVII. Punic. a v. 34. Ovid. l. IV. Faſtor. v. 184. Sidon. Apollin. Carm. XXIV.

b *In exemplum*. Sic etiam Schottus. Al. *in exemplo*. Al. *exemplum* ſine præpoſitione.

c *Idæa mater*. Hoc nomine Rheam, Vrani filiam Saturni Uxorem, & conjugem appellabant Ethnici ab Idæ Monte, in quo eam indigenæ ritu partio primi coluerunt. Hic mons eſt, ubi Juppiter educatus fuiſſe dicitur, ac proinde non in Phrygia, ut quidam volunt, ſed in Creta locandus.

d *Suum cinculum ſequeretur*. Silius ubi ſupra v. 39.
Si noſtrum nullo violatum eſt crimine corpus,
Teſtis, diva, veni, & facili me abſolve carina.
Tum ſecura capit funem . . . .

e *Ita navem*. Al. *navim*. Schottus nobiſcum legit. Sil. ibidem v. 44.

Fer-

non valuit commoveri, ab una muliere eſse commotam.

Fertur prona ratis, (ventos impellere credas)
Contraque adverſas ducentem prævenit undas.

13.

Illud æque mirum, quod lue ſæviente, Æſculapius Epidauro accitus [a], urbem Romam diuturna peſtilentia liberaſse perhibetur.

a *Æſcelapius Epidauro accitus*. Hanc hiſtoriam narrat Livius lib. x. cap. ultim. Plutarch. in Probl., & Ovidius l. xv. Metamorph. ſic deſcribit:

Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit, & hoſpitio juncti ſibi numinis uſus
Litoream tractu ſquamæ crepitantis arenam
Sulcat; & innixus moderamine Navis, in alta
Puppe caput poſuit. &c.

Hinc collige ſub Serpentis formam, Dæmone agitatam, Epidauro Romam advectum fuiſſe Æſculæpium.

14.

Sacrilegi quoque numerari poſsunt, quorum præſentibus pœnis injuriam ſuam dii vindicaſse creduntur.

15.

Appius Claudius Cenſor [a], quum ad ſervos

a *Appius Claudius cenſor*. De eo Livius l. ix. cap. olim

vos publicos [b] ſacra Herculis tranſtuliſset, luminibus orbatus eſt [c]: & Potitiorum gens [d], quæ prodidit [e], intra unius anni tempus extincta eſt.

---

olim 29. nunc xx. idem refert, & Valerius Max. l. 1. c. 1. Cicero in Catone majori.

b *Quum ad ſervos publicos*. Sic etiam Aldus. Al. *quum adverſus reſponſum ad ſervos &c.* Schottus nobiſcum legit; neque in aliquo hiſtoricorum de reſponſo iſto, heic addito, mentionem fieri, me legiſſe memini.

c *Luminibus orbatus eſt*. Et iccirco deinceps cæci cognomen illi fuit ſuperadditum.

d *Potitiorum Gens*. Bon, & alii quidam tam typis editi, quam manu exarati *Potiorum Gens* certe ex oſcitantia, & imperitia Librarii; Nam laudati ſuperius hiſtorici, aliique plurimi *Potitiorum* conſtantiſſime legunt.

e *Quæ prodidit* Scilicet Herculis Myſteria. Nam Potitia Gens, ut habet Livius ubi ſupra, ad Aram Maximam Herculis familiare habuit Sacerdotium, & ſervos publicos miniſterii delegandi cauſſa ſollemnia ejus ſacri docuerat. Adde Macrob. l. 1. Satur. c. XII. & l. III. cap. VII.

16.

Item Cenſor Fulvius [a] quum ex Junonis La-

---

a *Item cenſor Fulvius*. Hunc virum Livius dec. v. lib. II. cap. IV. Q. Fulvium Flaccum vocat, & hanc ædem Fortunæ Equeſtri, Romæ ab eo excitatam, bello Celtiberino eum voviſſe, narrat.

Laciniæ *b* templo marmoreas tegulas abſtuliſset, quibus ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ fecerat, tegeret: & mente captus eſt, & amiſſis duobus filiis, in Illyrico militantibus, ſummo animi mœrere conſumptus eſt.

Per-

b *Junonis Laciniæ*. Bon. *Lucinae*. Sic etiam Aldus. Sed male; nam Livius, Valer. Max, aliique Hiſtorici *Laciniæ* legunt. Al. *Luſciniæ*. Al. *Lucunæ*. Al. *Laſcivæ*. Sevrius ad l. III. Virgil. æn. v. 553.

.... *attollit ſe diva Lacinia contra*

Sic eam cognominatam aſſerit a Rege quodam, templi ejus conditore apud Brutios, apud quos, Livio teſte, ædes illa a cenſore Fulvio tegulis expoliata fuerat. Iſte Rex Lacinius quum Herculem, ex Hiſpania redeuntem, Gerione extincto recipere noluiſſet hoſpitio, in titulum repulſionis ejus, templum Junoni, tamquam Herculis novercæ, cujus & odio is laborabat, magnifice condidit. Alii nomen hocce factum Junoni putant a Latrone Lacinio, qui ibidem ab Hercule occiſus fuerat. Nec deſunt, qui dicant a Promontorio Lacinio, quod Junoni dono Thetis dederat, ita eam appellatam velint. Id mirum fertur, quod ſi quis ferro in tegulis illis nomen ſuum incidiſſet, tandiu Scriptura illa manebat, quandiu homo ille vixiſſet, qui eam ſcripſerat. Hæc ſunt, quæ me ad hanc lectionem reciplendam cogunt; quamquam apud Romanos non *Laciniam*, ſed *Lucinam* Junonem unice reperiam, tam in antquo Kalendario a. d. VI. Non: Martias, quam apud Varr. lib. IV. de LL. Terentium, Plinium, P. Victorem, Dionyſ., alioſque quos laudat Roſin. l. II. Roman. antiq. cap. V.

17.

Præfectus etiam M. Antonii Turulius [a], quum apud Coos[b] everſo Æſculapii luco claſſem feciſset, eodem poſtea loco[c] a militibus Cæſaris eſt interfectus.

a *Præfectus Marci Antonii Turulius*, Bon. *Turalleus*. Al. *Turtullius*. Al, *Turculius*. Al. *Tertullius*. Al. *Turullius*. Apud Valer. Max. l. 1. cap. 11. ubi hæc narratur hiſtoria, bis *Turulium* lego. Apud Dionem Caſſium autem lib. 11. *Turullium*: ex quo etiam noſco, hunc unum fuiſſe ex Cæſaris percuſſoribus, qui deinde a Cæſarianis obſtruncatus fuit, quum Octaviano Triumviro ab Antonio traditus eſſet.

b *Quum apud Coos*. Olim etiam *Cos* dicta, contra Halycarnaſſum ſita, patria Apellis, & Hippocratis. Inſula eſt frugibus, ac pecoribus abundans. Proverbium eſſe ait Johan. Bunonus in Georg. Cluer, lib. IV. cap. IX. §. V. *Chius Coum loqui non ſinit*. Coi enim diſerti, Chii loquaces audiebant; quod tamen falſum eſt. Nam etiamnum Græci dicunt: Chii λόγιμοι: Coi ἄφρωνες

c *Eodem poſtea loco*. Sic etiam Thomas. Al. *luco*.

18.

His exemplis adjungitur Pyrrhus [a], qui ſubla-

a *Adiungitur Pyrrhus*, Bon. *intellegitur*. More ſolito pro *intelligitur*, quod verbum heic locum non habet. Hanc Pyrrhi, Epirotarum regis, qui materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus dicitur, hiſtoriam referunt Victor de *Viris Illuſtr.* cap. XXXV. & Valer. Max. l. 1. cap. 11.

ſublata ex theſauro Proſerpinæ Locrenſis [b] pecunia naufragium fecit, ac vicinis deæ litoribus illiſus eſt [c], ut nihil, præter eam pecuniam, incolume reperiretur.

---

b *Ex theſauro Proſerpinæ Locrenſis*. Bon. *e tenſauro*. De Proſerpina diximus ad l. 1. XXI. 24., & heic cap. IV. 28. *Locrenſes* autem, ſeu *Locri*, alii Ozoli circa fauces ſinus Corinthiaci incolentes, Ætolis proximi: alii Æicnemidii, in ora adverſa ad ſinum Ætæum: alii Epizephirii, Magnæ olim Græciæ popoli apud Zephirum promotorium in Brutiorum confinio, qui, ut Juſtinus ait L. XVIII. cap. I. *prodito præſidio Romano, ad Pyrrhum defecerunt anno V. C. CDLXXIII.*

c *Illiſus eſt* Bon. *inlius eſt*, Plutarchus in Pyrrho quamvis de ſpoliato Proſerpinæ theſauro ſileat, naufragium tamen ejuſdem Pyrrhi deſcribens: *Abiecit ſe*, inquit, *in Mare Pyrrhus. Ibi amici ejus, & Satellites pro ſe quiſque certaverunt ad eum eripiendum enixe. At nox, fluctuſque ingenti cum fragore, & aſpero repercuſſu magnopere remorati ſunt opem ferentes: Ita ut vix tandem luce orta, cadente vento, in terram evaſit, corpore quidem prorſus invalidus; ſed animi magnitudine, & vi adverſis reluctans.*

19.

Ceres quoque Mileſia [a] multum ſibi apud homines venerationis adjecit. Nam quum ab Alexandro capta civitas eſſet, ac milites ad eam

---

a *Ceres quoque Mileſia*. A Mileto, Italis *Melazzo*, Cariæ Urbe notiſſima, ubi ædes ſatis ampla Cereri dicata erat, dicta Ceres Mileſia, de qua Valer. Max. ubi ſupra.

eam ſpoliandam irrupiſsent: omnium oculos repente objectus fulgor ignis extinxit [b].

b *Fulgor ignis extinxit*. Bon. *extincxit*. More antiquorum.

20.

Reperiuntur etiam ſomnia, quæ vim deorum videantur oſtendere, Tiberio nanque Attinio [a] homini plebejo per quietem obverſatus eſse Jupiter dicitur; & præcepiſse, ut Coss., & Senatui nuntiaret, ludis Circenſibus proximis præſultorem [b] ſibi diſplicuiſse,

a *Tiberio namque Attinio*. Al. *Athinio* Al. *Latinio* Al. *Attivio* Al. *Latino*: Schottus *Antino*: Nobiſcum meliores legunt; immo authoritate noſtri codocis nomen hocce reſtituerunt Gronov. ad Livium L. ii. c. 35. Pighius, & Voſſius ad Valer. Max. L. I. cap. VII. Cicero *de Divin.* L. I. idem narrat. Macrob. I. Saturn. c. XI. Annium hunc hominem appellat idque accidiſſe tradit an. c. v. CDLXXIV.

b *Præſultorem*. Al. ex Cicerone, & Arnobio *Præſulem*. At ex Livio cum noſtro legendum, ad quem notat Rhenanus. *Aptius vocat miſerum illum ſervorum, qui cæſus virgis per medium circum ſaltitaverat ex vehomenti dolore*, PRÆSULTATOREM, *quam* PRÆSULTOREM. Sunt enim qui ibidem legunt *præſultatorem*. Unde Sigonius ad eundem. *Præſultatorem autem vocat, qui quaſi ludorum prima pars fuerit, qui antequam ludi committerentur ſaltaverit*. Turneb. in Lex. & L. X. Adverſ. c. X. *Præſultor erat, qui in ludis*,

quod Autronius Maximus [c] quidam verberatum ſervum ſub furca [d] medio circo ad ſupplicium duxerat, ideoque ludos inſtaurari oportere.

---

dis, aut Sacris præſultabat; nam in omnibus pompis, ludiſque circenſibus juvenes ibant in numerum ſaltantes, & ſubſilientes, qui Ludii, & Ludiones dicebantur. Vide II. Reg. VI. ℣. 16.

c *Quod Autronius Maximus*. Al. *Antronius*. Al. *Antonius* Macrob. ubi ſupra. *Atronius*: Livius nomen reticet, *Mane*, inquiens, *quidam pater familiæ, nondum commiſſo ſpectaculo, ſub furca cæſum medio ageret circo*. Dionyſ. vero Halicarn. L. I. Antiq. ἀνὴρ οὐκ ἀφανής.

d *Verberatum ſervum ſub furca*. Bon. *forca*. Al. *diverberatum*. Cicer. L. I. de Divin. hanc hiſtoriam refert hiſce verbis: *Quumque jam populus conſediſſet; ſervus per circum quum cæderetur, furcam ferens ductus eſt. Hinc quidam putant, furcam hanc, lignum fuiſſe oblongum inter duas perticas deſuper poſitum, ſub quo vincti verberabantur rei alicujus criminis*. At Plutarchus in Coriolano rem ſic diſerte explicat: *Maxime vero hæc peccanti ſervo inferebatur pæna, ut plauſtri lignum, cui temo afficitur, ſpectante vicinia, ferens circumagatur; quod ubi factum erat, infidus a domeſticis, & vicinis exiſtimatus, furcifer appellabatur*. De hoc pænæ genere vide Lipſ. L. III. de Cruce cap. II. & VII. & Noſtram diſſ. XXX. ubi de *Nece Neronis fit ſermo*. De ludis autem Circenſibus infra dicturi ſumus, & in diſſ. XXVII.

21.

Quod cum ille neglexiſset, eodem die filium

filium perdidiſse [a], ipſum autem [b] gravi morbo eſse correptum; & quum rurſus eandem imaginem cerneret, quærentem, ſatis ne pœnarum pro neglecto [c] imperio pependiſset: lectica delatus ad Coss., & omni re [d] in Senatu expoſita, recepiſse corporis firmitatem [e], ſuiſque pedibus domum rediſse.

---

a *Filium perdidiſſe*. Bon. *Tò filium* non habet, ſed ſic omnino legendum Hiſtorici, ſenſus, & libri nos docent.

b *Ipſe autem .... correptus*. Sic nobiſcum Schottus, & Buneman. legendum jure cenſent, pendet enim ſenſus a verbo *dicitur*, quod præcedit. Al. male: *ipſum autem .... correctum*.

c *Pro neglecto*. Bon. *neclecto*.

d *Et omni re*. Al. *ſed omni re*. Bon. *ſet*.

e *Corporis firmitatem*. Bon. *infirmitatem*.

22.

Illud quoque ſomnium non minoris fuit admirationis, quo Gajus Cæſar [a] dicitur eſſe ſervatus. Nam quum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo, abſtinere prælio ſta-

---

a *Quo Gajus Cæſar*. Al. *Cæſar Auguſtus*. Hic idem eſt ac Octavius, ſeu Octavianus Auguſtus, qui quum Thurinus vocaretur, ex Avunculi ſui teſtamento Gajus Cæſar Octavianus dictus eſt: Auguſtus vero Munatii Planci ſententia. De hac hiſtoria valde inter

ſtatuiſſet : medico ejus Artorio Minervæ ſpecies obſervata eſt, monens, ne propter corporis imbecillitatem caſtris ſe contineret [b]. Itaque in aciem lectica derlatus [c] eſt: & eadem die [d] a Bruto caſtra capta ſunt.

ter ſe diſcrepant Scriptores Svetonius, Vellejus, Florus, Max., aliique, quorum nonnulli dicunt, Auguſtum propter illud ſomnium in aciem deſcendiſſe; alii vero ob illud idem caſtris abſtinuiſſe. Valerium Max. L. I. cap. VII. Lactantius ſecutus eſt. Vide Tertull. *de Anima* cap. XLVI. Appian. L. IV. *de Bello Civili*.

b *Se contineret*. Al. addunt *Cæſar*.

c *In aciem lectica delatus*. Al. perlatus.

d *Et eadem die*. Al. *& eodem die*.

23.

Multa præterea poſſunt ſimilia [a] exempla proferri: ſed vereor, ne, ſi fuero in propoſitione rerum contrariarum diutius immoratus, aut oblitus eſſe propoſiti videar, aut crimen loquacitatis incurram [b].

CAP.

a *Poſſunt ſimilia exempla*. Al. *exempla ſimilia poſſunt*.

b *Crimen loquacitatis incurram*. Mallent aliqui *in crimen* legere, ſed etiam ſine præpoſitione hocce verbum adhibitum eſt a Salluſtio in frag. VI. 6. a Vegetio 109. a Tacito l. I. 51. & II. 17. Annal. Item Lact. l. VI. XXV. 12. Adde Arnob. Cyprian. Sulpic. Sever. Hieronym. Ambroſ. Apulejum ex Bunem.

CAP. IX. AL. VIII.

1.

EXponam igitur omnium iſtorum [a] rationem: quo facilius res difficiles, & obſcuræ intelligantur, & has omnes ſimulationum cauſſas his præſtigiis [b] revelabo, quibus indocti homines [c] a veritatis via longius receſſerunt.

a *Iſtorum omnium*: Sic etiam Schottus. Al. cum Aldo: *omnium iſtorum*.

b *Simulationum cauſſas in his præſtigiis* &c. Al. *ſimulati numinis præſtigias*. Al. *& præſtigias*. Aldus nobiſcum legit.

c *Indocti homines*. Sic etiam Aldus; Al. *inducti*.

2.

Sed repetam longe altius, ut ſi quis ad legendum veri expers [a], & ignarus acceſſerit, inſtruatur [b], atque intelligat quod tandem ſit: *Caput horum, & cauſſa malorum* [c]: & lumine accepto, ſuos, ac totius generis humani perſpiciat errores.

I 3 Si-

a *Veri expers*: Al. *expers veri*.

b *Inſtruatur*. Al. *iſtituatur*. Aldus legit nobiſcum.

c .... *Caput horum, & cauſſa malorum*. Eſt Virgilii hemiſtichium æn. XI. v. 361.

*

Sicut mater ſine exemplo genuit authorem ſuum: ſic ineffabiliter pater genuiſſe credendus eſt coæternum. De matre natus eſt, qui ante jam fuit: de patre, qui aliquando non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum, putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare.

---

* SICUT MATER &c. Quæ heic diverſo charactere leguntur in pleriſque omnibus antiquioribus Ms. omiſſa ſunt, & quidem Lactantianæ de Verbo divino ſententiæ minime quadrant; ſed potius Arii ſenteniam ſapiunt, ubi de illo dicitur: *de patre, qui aliquando non fuit*. Betnlejus vero melius: *qui non aliquando non fuit*. Sed ſine codd. authoritate. Hinc aut totum hoc ſegmentum cum pleriſque rejiciendum eſt, tamquam ſpurium, aut ſic catholice interpretandum. *DE MATRE* homo *NATUS EST*, & Deus, *QUI ANTE JAM* Deus *FUIT*, & non homo. *DE PATRE* jam ab æterno erat Deus, *QUI ALIQUANDO NON FUIT* homo. Vide Diſſ. xxix. Cap. VII. §. VI., & cap. VIII. §. III. ſeq.

3.

Quum eſſet Deus ad excogitandum providentiſſimus [a], ad faciendum ſolertiſſimus, ante

---

a *Quum eſſet Deus ad excogitandum providentiſſimus*: Al. *prudentiſſimus. Excogitare* quum hominum po-

ante quam ordiretur hoc opus mundi [b], quoniam pleni [c], & conſummati boni fons in ipſo erat, ſicuti eſt ſemper, ut ab eo, tanquam rivus [d] oriretur, longeque profluxeret, produxit ſimilem ſui [e] ſpiri-

 tum,

potius quam Dei proprium ſit, heic metaphorice ſumitur, & optime additur, Deum eſſe *provideutiſſimum*; Excogitare enim, ſeu potius diſponere providentiæ eſt: exequi autem prudentiæ.

b *Antequam ordiretur hoc opus mundi, quoniam pleni &c.* Sic nobiſcum legunt Aldus, Schottus, & quotquot antiquiorum Ms. codicum ſcripturam ſequuntur, alii vero ea interſerunt, quæ mox a nobis diverſo charactere ſcribuntur, appoſitis ad diſtinctionem indicandam aſteriſcis duobus.

c *Quoniam pleni* &c. Hæc ſuperioribus, ut innuimus jungenda eſſent, ſi ſemel demonſtraretur hocce ſegmentum fuiſſe interpolatum. Optime enim cum illis congruit vel iis demptis, quæ ſunt inſerta.

d *Ut ab eo, tamquam rivus*. Al. *ut ab eo bono*: Aldus: *ut ab eo bonum*; ſed nihil addendum; nam L. IV. Cap. XXIX. de divina generatione loquens hac eadem ſimilitudine iiſdem fere verbis uſus eſt, quum de Patre dicit ſeg. 4. *Ille quaſi exuberans fons eſt*: de filio vero: *Hic tanquam defluens ex eo rivus*. Utrobique ſatis clare ab Iſæo, quid ſibi velit Lactantius, expoſitum eſt, & heic præcipue veterum Patruum exemplis illuſtratum. Vide diſſ. XXIX. C. VII. §. III.

e *Produxit ſimilem ſui ſpiritum*: Similem ſcilicet in natura; nam conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei quæ intelligitur; ideoque in Deo exiſtens in ejus divi-

tum f, qui eſſet virtutibus Dei patris præditus. Quomodo autem id fecerit g in quarto libro docere conabimur.

---

divina natura exiſtere debet; quoniam in divinis idem eſt, eſſe, & intelligere. Vide ad L. IV. Cap. VIII a ſeg. 2., & ibidem cap. XXIX. a ſeg. 3.

f *Spiritum*: Erraſſe aliquando Lactantium appellando, ſeu potius confundendo Filum Dei, cum Spiritu Sancto, S. Hieronymus aſſeruit Epiſtola LXV. ad Pammach. & Oceanum, necnon in comm. *ad Galat* IV. ℣. 5. At heic nihil tale deprehenditur, quum Deus revera Spiritus ſit, & Spiritus de qualibet divina perſona bene dicitur; quamquam, ut docet S. Thomas I P. Q. XXXVI. A. I. ad Primum. *Si accipiatur hoc, quod dico*: SPIRITUS SANCT. *in vi unius dictionis, ſic ex uſu Eccleſiæ eſt accomodatum ad ſignificandam unam trium Perſonarum, ſcilicet, quæ procedit per modum amoris &c.*

g *Quomodo autem id fecerit*: Bon., & Aldus, aliique nondulli legunt: *id voluerit*; ego tamen quum Bunem., aliiſque lectionem vulgatam retineo, tum quia Lactantio Synonima ſunt: *fecit*, *genuit*, *produxit*, *procreavit* &c.; tum quia commodius exponitur *Tò fecerit*, quam *Tò voluerit* ratione habita illorum, quæ habentur L. IV. Cap. VI., ad quem locum Author nos ablegat, & ex quo ad hunc remittit. Valet enim, ac ſi diceret: *Quomodo autem hoc factum ſit* &c. Alii addunt: *Quum ſolus eſſet*, quæ abſunt a plerique.

**

Fecit in principio bonum, & malum. Id plane

** *FECIT IN PRINCIPIO BONUM, ET MALUM*

plane quid ſit, apertius explicabo, (a) *ne quis me ita loqui arbitretur, ut poetæ ſolent, qui res incorporales quibuſdam figuris quaſi viſibilibus comprehendunt, quum præter ipſum nihil adhuc eſſet.*

LUM &c. Hæc partim Manichæorum, partim Arianorum erroribus favent, & Lactantii doctrinæ eo loci traditæ, ad quem lectorem ablegat, opponuntur; iccirco heic male aſſuta, ab omnibus cenſentur. Poſſunt tamen ita explicari ex dicendis. Fecit Deus *in principio, bonum, & malum*; Id eſt, bonum omne quod tale natura ſua eſſet; quamquam aliquod electione creaturarum depravandum, ita ut culpa illarum de bono in malum tranſiret: juxta ea, quæ ab Auguſtino, & Patribus docentur in explanatione ſcripturarum illarum v. g. Job. XL. ℣. 14. & Cap. IV. ℣. 10., & Pſal. CIII. ℣. 28. in quibus quum de primo inter Angelos prævaricatore ſermo videatur fieri: *Initium figmenti Domini*, iuquit Auguſtinus c. XXII. L. XI. *de Gen.* ad Liter., *dictus eſt, quod fecit, ut illudatur ab Angelis ejus, non quia ipſum primitus condidit, vel initio malum condidit; ſed quia quum ſciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, ut bonis noceret, creavit eum ad hoc, ut de illo bonis ipſe prodoſſet* &c. Vide Diſſ. XXVI. cap. II. §. IX., & quæ heic ſeg. 4. dicemus.

(a) *ID PLANE QUID SIT APERTIUS EXPLICABO*: Nimirum in ſequentibus poſt ſeg. *6.* vel potius L. IV. cap. VI. ſeg. 1.

4.

Deinde fecit alterum, in quo indoles di-

vinæ

vinæ ſtirpis [a] non permanſit [b]. Itaque ſuapte invidia, tanquam veneno infectus eſt [c], & ex

a *Deinde fecit alterum, in quo indoles divinæ ſtirpis non permanſit*. Jam ad Creaturarum ſpiritualium creationem deſcendit, & quidem de uno ſolummodo Lucifero heic agere videtur ad mentem illius opinionis, de qua S. Auguſtinus mentionem facit. L. XI. *de Gen. ad Lit.* cap. XIX. ubi ait: *Coartatus quæſtione illa, qua quæritur, utrum ſui caſus præſcius antequam caderet fuerit* (Lucifer) *ne ſuæ beatitudinis incertos eſſe, vel aliquando fuiſſe Angelos dicerem, non ſine cauſſa putavi poſſe dici, Diabolum ab ipſo creaturæ: hoc eſt, ab ipſo vel temporis, vel ſuæ conditionis initio cecidiſſe; nec aliquando in veritate ſtetiſſe*. Adde ejuſdem verba ex Cap. XV. L. XI. *de Civit. Dei*, & diſſ. XXVI. cap. II. paullo ſuperius indicatam.

b *Indoles divinæ ſtirpis non permanſit*. Hinc directe, & neceſſario colligitur, Diabolum in gratia fuiſſe conditum, ſed minime in ea perſeveraſſe, ut habetur Jo. VIII. ℣. 44. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate nam ſtetit*. I. e. *In veritate fuit conditus, ſed non permanſit*; teſte Auguſtino L. XI. de C. Dei cap. XV. cui adde D. Thom. I. P. q. LXIII. Art. V. & VI. Quod autem heic dicitur *indoles divinæ ſtirpis* egregie exprimit gratiam ſanctificantem, utpote quæ, eſt *participatio formalis divinæ naturæ*; Indoles autem eſt ſignum probitatis, & virtutis. Vide diſſ. XXVI. cap. I. §. VI.

c *Suapte invidia, tanquam veneno infectus eſt*. Betulejo ad illud ſapientiæ cap. II. ℣. 24. reſpexiſſe viſus eſt Lactantius: *Invidia autem Diaboli mors introi-*

ex bono ad malum tranſcendit, ſuoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat d, contrarium ſibi nomen aſcivit e.

---

troivit in orbem terrarum. Gloriæ enim hominis invidens Diabolus, protoparentem noſtrum in ſcelus pertraxit, quo una cum innocentia immortalitatem perdidimus omnes, maliſque omnibus facti ſumus obnoxii; juxta doctrinam catholicam ex *Epiſt. ad Rom.* v. ℣. 12.; & *Sapientiæ* 1. ℣. 13. ſeq. D. Bernard. Serm. xvii. in Cant. Rupertus L. viii. in Jo.; & Theologorum nonnulli apud Cornel. a Lapide In Cap. II. Sap. ℣. 24. docent, Diabolum potiſſimum ægre tuliſſe, Dei filium humanam potius, quam Angelicam naturam hypoſtatice ſibi uniendam elegiſſe, quoniam huic ipſe dignitati inhiabat, qua poſſet Altiſſimo fieri quodammodo ſimilis, ut Iſ. xiv. ℣. 14. legitur. Quia tamen invidia in ſpiritualibus creaturis ex ſuperbia, & amore ſui potiſſimum emergit, hinc S. Auguſtinus *L.* xi. *de Gen. ad Lit.* Cap. xiv. ſeq; & L. xii. de Civ. Dei Cap. vi. ſuperbiam in Diabolo invidiam præceſſiſſe docuit, quod de more doctiſſime S. Thomas expoſuit P. 1. q. lxiii. A. II. in Corp. Vide diſſ. xxvi. cap. ii. §. ii.

d *Et ex bono ad malum tranſcendit, ſuoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat* &c. Prima pars hujus membri Manichæorum, aliorumque perverſorum hominum errores, qui malum omne vel a perverſo principio, vel ab ipſo Deo O. M. procedere contendunt, ſatis a Lactantii mente eliminat, ſimulque oſtendit, eum non crediſſe, Diabolum natura pravum a principio conditum fuiſſe: ſecunda vero libertatem arbitrii etiam in ſingulis Angelis adſtruit, ex cujus abuſu perierunt. Hæc libertas tandiu

diu in eis permanſit, quandiu viatores fuerunt, ut eligerent ſive bonum, ſive malum. Electione facta, qui Deo adhæſerunt in bono manebunt; qui autem adverſus eum rebellarunt, ſempiternis cruciatibus a patria Cœleſti extorres deputati ſunt:

e *Contrarium ſibi nomen aſcivit*. Nomen Angeli, qui princeps erat aliorum, a luce derivatum eſſe cenſetur, nam apud Iſaiam XIV. ℣. *Lucifer* appellatur, & ſtellaram vocabulo ſectatores ejus nuncupantur Apocalypſ. XII. ℣. 4. At poſt lapſum omnes *tenebræ* dicti ſunt ad Coloſſ. I. ℣. 13., & ipſe Lucifer jamdiu Princeps, & Dux audit tenebrarum. Conformior tamen tam antecedentibus, quam conſequentibus erit hujus loci expoſitio ſi dicatur, quod ſpiritus prævaricator ante lapſum *bonus Angelus* appellabatur, poſtea vero *malus* dictus, ac ſua ſponte factus eſt.

5.

Unde apparet, cunctorum malorum fontem eſſe livorem [a]. Invidit enim illi antecеſ-

a *Cunctorum malorum fontem eſſe livorem*. Livor heic pro invidia ſumitur, ut ab Ovidio L. III. *de Ponto* IV. ℣. 74.

Livor & inviſo carpere dente ſolet.

Et quamquam primum Diaboli peccatum, ut ſupra obſervavimus, ſuperbiæ crimen fuerit, quia tamen illud perverſis ſolummodo Spiribus nocuiſſet, non autem nobis, quibus invidia Diaboli tot peperit clades, hinc recte Lactantius cunctorum malorum, quæ in mundo ſunt, ſtatuit invidiam fuiſſe fontem, ex quo

ceſſori ſuo, qui Deo patri perſeverando, cum probatus, tum etiam charus eſt [b].

quo iſta manarunt: Quod eſt in hoc libro dicendorum fundamentum, ut oſtendat, quare perditi ſpiritus errores, ac ſcelera tantopere hominibus ſuadere non deſinant.

b *Invidit enim illi Anteceſſori ſuo, qui Deo patri perſeverando cum probatus, tum etiam carus eſt.* Pro *illi* quidam Ms. Codd. *ille* habere videntur; ſed dubia lectio eſt. Al. particulam *tum* bis repetunt. Betulejus, & Walchius malunt de Angelo cæteris omnibus præfecto *Tò Anteceſſori ſuo*, interpretari; & quidem ſatis apte ad id, quod ſequitur exponendum; Perſeverantia enim in bono, quæ deficiendi quandam importat in perſeverante facultatem, ſecundæ Auguſtiſſimæ Triadis perſonæ nullimodæ convenit, ut bene notavit Iſæus. Incongrua tamen interpretatio iſta alis viſa eſt cum ex antecedentibus, ubi ſermo fuit de unigenito Dei filio, tum ex conſequentibus, ubi de eodem Noſter verba facit, præſertim ſeg. 7. At optime *Anteceſſoris* vocabulo S. Michael Archagelus heic deſignatur, quoniam is eſt, qui illi anteceſſit, & pro Deo ſtetit quum factum eſt prælium magnum in Cælo, ut habetur Apocalypſ. XII. ℣. 7. ſeq. Neque obſtat, quod fiat a Lactantio tam ſupra, quam infra de Verbo Dei mentio; Nam S. Michael, veluti dux extitit militiæ ejus, & pro Eccleſia, quod eſt myſticum ejus corpus, ac pro vera Religione ſtrenue dimicavit, & dimicat Princeps factus cæleſtis exercitus. His omnibus Diabolus invidit, *Amando enim quiſque excellentiam ſuam*, inquit ad rem Auguſtinus, *vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur.*

L. XI

L. xi. de Gen. ad Lit. Cap. xiv. His autem omnibus invidiſſe Diabolum ſuis locis viſuri ſumus.

6.

Hunc ergo ex bono per ſe malum effe-ctum [a] Græci διάβολον appellant, nos criminatorem [b] vocamus, quod crimina, in quæ ipſe illicit, ad Deum deferat.

a *Ex bono per ſe malum effectum.* Vide ſupra ſeg. 4.

b *Græci* διάβολον *appellant nos criminatorem.* Al. *exterminatorem*; ſed prave, reſpicit enim heic Lactantius ad proxime laudatum Cap. xii. Apocalypſ. ℣. 10., ubi victoria de Diabolo parta: *Audivi* S. Johannes ait: *vocem magnam in Cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnam Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante coſpectum Dei noſtri die, ac nocte*; Unde & Lactantius ſubdit: *Quod crimina, in quæ ipſe allicit ad Deum deferat.* Hinc ergo ſuperiorem expoſitionem poſſe confirmari gratulamur primis ejusdem inventoribus.

***

Cur autem juſtus Deus talem voluerit eſ-ſe

*** *Cur autem juſtus Deus talem voluerit eſſe &c.* Hæc, & quæ ſub tribus hiſce aſteriſcis ſcripta diverſo ſunt charactere in antiquioribus Mss. Codd., ac ineditis pleriſque minime leguntur, & a Manichæorum aliquo, vel Ariano heic inſerta cenſentur; Nos quæ notanda occurrunt, non præteribimus; & primo obſer-

ſe (a) *quantum ſenſus noſtri mediocritas poterit, explanare conabor. Fabricaturus Deus hunc mundum, qui conſtaret* (b) *ex rebus inter ſe contrariis, atque diſcordibus, conſtituit ante diverſa* (c), *fecitque ante om-*

ſervandum eſt, hanc eandem quæſtionem ſibi ſolvendam propoſuiſſe Auguſtinus L. XI. de Gen. ad Lat. ſæpius heic laudato, & quamquam de more ſapientiſſime eam a Cap. VI. ad XII. uſque pertractat, ſatis iis omnibus faciendo, quæ a temerariis hominibus contra divinam providentiam dici poſſunt; quidam tamen perverſi recentiores, quibus mentito aliorum nomine anteſignanum ſe præbuit Petrus Bælius, eadem jam protrita, & conculcata in medium recocta proferunt, & tamquam inſolubilia ſtulte, ac impie propugnant. Nos ad Cap. XIII. *de Ira Dei*, ex quo Bælius anſam arripuit, ut Manichæorum, Paulianiſtarum, Marcionitarum, Epicureorumque omnium deliramenta formidoloſis verborum imbagibus fulciret, & oſtenderet bonitati divinæ permiſſionem malorum repugnare, ejus ignorantiam, impietatemque arguemus, & plura deſiderantibus loca indicabuntur diſſertationum noſtrarum, ubi plenius ſibi quiſque valeat argumenta adverſus eum comparare?

(a) *Quantum ſenſus noſtri mediocritas poterit explanare conabor*. Phraſis iſta Lactantiana eſt, eamque illuſtratam reperies *L. de Opif. Dei* Cap. I. ſeg. I. n. g. Quæſtionem autem quam heic excitat, etiam c. XXIX. Epitomes agitavit a ſeg. I.

(b) *Qui coſtaret ex rebus*. Al. *in rebus*. Vide infra Cap. XIII. Seg. I.

(c) *Fecitque ante omnia duos fontes rerum ſibi adver-*

omnia duos fontes rerum ſibi adverſantium, inter ſeque pugnantium, illos videlicet duos ſpiritus, rectum atque pravum: quorum(d) *alter eſt Deo tanquam dextera, alter tanquam ſiniſtra, ut in eorum eſſent poteſtate* (e) *contraria illa, quorum mixtura & temperatione mundus, & quæ in eo ſunt, uni-*

---

verſantium &c. Hi fontes, ut ſtatim ſeſe declarat, duos fuiſſe Spiritus bonum unum, pravum alterum, apparet; quod ſi de Angelis intelligeretur, juxta ea quæ a nobis paullo ſupra ** annotata ſunt, vel nullus, vel tollerabilis error eſſet; non enim ii, qui duorum principiorum, malum unum, bonum alterum conſtituebant, utrumque ſub Dei poteſtate poſuerunt; ſed potius ambos Deos eſſe æſtimarunt Bonum videlicet, & Malum. Vide Auguſt. Lib. de Hæres. n.VI. *in Gnoſticis*. Item n. XXI. *in Cerdonianis.* n. XLVI., ubi de Manete, olim Urbico Manichæorum, ſeu Mannichæorum authore ait: *Iſte duo principia inter ſe diverſa, atque adverſa, eademque æterna, & coæterna, hoc eſt ſemper fuiſſe, compoſuit, duaſque naturas, atque ſubſtantias, boni ſcilicet, & mali, ſequens alios antiquos hæreticos opinatus eſt &c.* & ne plura afferam, adde, quæ idem refert ex Epiſt., *quam vocant* FUNDAMENTI, contra illam ſcribeus Cap. XIII. ſeq. Plura de his diximus Diſſ. XXVII. Cap. III. §. I.

(d) *Alter eſt Deo tamquam dextera, alter tamquam ſiniſtra*: Omnes enim tam pravi, quam boni Angeli *adminiſtratorii ſpiritus* ſunt, quibus Deus utitur quotieſcumque libuerit. Vide Interpretes ſcripturarum ad Cap. I. Epiſt. ad Hebræos ℣. 14.

(e) *Ut in eorum eſſent poteſtate &c.* Quamquam, ut

univerſa conſtarent (f). *Item facturus hominem, cui virtutem ad vivendum proponeret, per quam immortalitatem aſſequeretur*

---

ut Auguſtinus ait L.III. Cap. VIII. *DE TRINIT. Non eſt putandum iſtis transgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam*; tamen nulla repugnantia in eo eſt, quod materialia per Angelos ad Dei nutum regantur. Immo ex D. Thoma I. P. q. CX. A. I. *Hoc non ſolum a Sanctis Doctoribus ponitur, ſed etiam ab omnibus Philoſophis, qui incorporeas ſubſtantias poſuerunt.* Vide Diſſ. XXVI. Cap. I. §. VII. Difficultas potius in eo ſita eſt: An Angeli iſti creati fuerint a Deo ante mundum corporeum? & in exponendo, qua ratione fieri potuit, *ut in eorum eſſent poteſtate contraria illa, quorum miſtura, & temperatione mundus, & quæ in eo ſunt, univerſa conſtarent?* Ad quarum primam R. cum Angelico Præceptore Noſtro P. I. q. LXI. A. III. Ad ſecundum vero reſponderi poſſet, per Hypallagen Authorem locutum fuiſſe in hypotheſi, qua ſtatuitur, Deum materiem creaſſe ſub formis elementorum, eamque opere ſex dierum in rerum viſibilium ſpeciem efformaſſe, ſingulis aſſignato Angelo ad generis ſui conſervationem, atque adminiſtrationem. Vide S. Thom. P. I. quæſt. LXVI. A. I. ad III., & Diſſ. noſtram ſupra laudatam §. IV., & ſeq.

(f) *Item facturus hominem* &c. In Epitome his omnibus omiſſis, ſic Lactantius habet Cap. XXVII. Seg. 2. *Quum Deus pro virtute majeſtatis ſuæ Mundum de nihilo condidiſſet, cælumque luminibus adornaſſet, terram, & mare compleſſet animalibus, tum ho-*

tur (g), *bonum & malum fecit* (h), *ut poſſet eſſe virtus: quæ niſi malis agitetur, aut vim ſuam perdet, aut omnino non erit. Nam ut opulentia bonum videatur, acerbitas egeſtatis facit: & gratiam lucis commendat obſcuritas tenebrarum: valetudinis, & ſanitatis voluptas, ex morbo, ac dolore co-*

---

hominem &c. Hinc ſtyli, ac doctrinæ varietas facile dignoſci poteſt.

(g) *Bonum, & malum fecit* &c. Jam repetit quod ante dixerat initio hujus aſſutæ orationis; forte reſpiciens ad Gen. II. ℣. 9., & 16. ubi de ligno ſcientiæ boni, & mali ſermo fit, & Deus Adæ præcepit: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo; morte morieris.* Quaſi diceret, ut S. Juſtinus exponit Apol. II. p. 81. *Bonum, & malum ante te ſunt; bonum elige.* Eccl. Cap. XV. ℣. 18. ſeq. *Appoſui tibi aquam, & ignem* &c. Et illud Apoſtoli: *Non cognovi peccatum niſi per legem:* ut intelligas, non a Deo factum eſſe malum morale in homine, quod peccatum eſt; ſed ab homine ipſo, prævaricando, ſibi inductum, quod facile vitare poterat, & omnino debuerat.

(h) *Ut poſſet eſſe virtus, quæ niſi malis agitetur, aut vim ſuam perdet, aut omnino non erit.* Al. *poſſit.* Infra Cap. XVIII. Al. XVII. ſeg. 1., & Lib. V. Cap. VII. ſeg. 4. Immo ubicumque oportune quæſtio hac de re incidit, hoc idem Lactantius docet, & explicat eo nimirum ſenſu, quo S. Auguſtinus ait: *Mali neceſſarii ſunt bonis.* Serm. LIII. *de Verb. Dom.* cap. III.

cognoſcitur . Ita bonum ſine malo in hac vita eſſe non poteſt : & utrunque licet contrarium ſit ; tamen ita cohæret , ut alterum ſi tollas ; utrumque ſuſtuleris : nam neque bonum comprehendi ; ac percipi poteſt ; ſine declinatione ; ac fuga mali : nec malum caveri ; ac vinci ſine auxilio comprehenſi , ac percepti boni (i) *: neceſſe igitur fuerat & malum fieri ; ut bonum fieret . Et quoniam* (l) *fas non erat ; ut a Deo proficiſceretur ma-*

(i) *Neceſſe igitur fuerat & malum fieri ; ut bonum fieret* : Juxta illud ; quod canit Eccleſia : *O vere neceſſarium Adæ peccatum* &c. Vide diſſ. XXIX. Cap. VI. a §. XIV.

(l) *Fas non erat , ut a Deo perficiſceretur malum* &c. Hæc quum his, quæ ſequuntur, ſibi invicem repugnantia Pfaffius putavit *diſſ. prælim. ad Epitom.* ubi ait : *Si fas non eſt , ut malum a Deo proficiſcatur . . . . non potuit Deus* VOLUISSE , *ut voluntas prava , & perfecta nequitia in Diabolo eſſet , quam ſanctiſſimus ille abominetur* &c. Revera tamen non ex prolatis ; ſed ex illatis verbis tota emergit repugnantia . Non enim dicitur ab authore hujus orationis, Deum voluiſſe pravam eſſe voluntatem ; ac perfectam nequitiam Diaboli ; quod divinæ opponitur , & repugnat bonitati ; ſed dediſſe ingenium ; & aſtutiam ei , quem , quum optime noſſet hiſce donis fore ad excogitanda mala abuſurum ; conſtituit malorum inventorem , quibus , non ut mediis , ſed ut inde occaſine accepta , uteretur ad bonum aliquod producendum ; quod malis omnibus

malum; neque enim contra ſe ipſe faciet, illum conſtituit malorum inventorem, quem quum faceret, dedit illi ad mala excogitanda ingenium, & aſtutiam: ut in eo eſſet & voluntas prava, & perfecta nequitia: & ab eo contraria virtutibus ſuis voluit oriri, eumque ſecum contendere: Utrum ne ipſe plus bonorum dares, an ille plus malorum. Sed rurſus quoniam Deo ſummo repugnari non poteſt (m), *bonorum ſuorum poteſtatem illi ultori aſſignavit: quem ſupra, bonum, ac perfectam eſſe diximus* (n). *Ita duos ad certamen compoſuit, & inſtruxit. Sed eorum* (o) *alterum dilexit, ut bonum filium, alte-*

---

bus reſiſteret, & ſingula bona longe ſuperaret. Vide Diſſ. ſupra laudatam eodem Cap. VI.

(m) *Bonorum ſuorum poteſtatem illi ultori aſſignavit, quem ſupra* &c. Al. legunt: *illi alteri*, de quo vide ſupra a nobis dicta ſeg. 5.

(n) *Ita duos ad certamen compoſuit* &c. Hinc confirmo eſpoſitionem ſupra datam ſeg. 5.

(o) *Alterum dilexit, ut bonum filium, alterum abdicavit, ut malum*, Animum adverte, non heic Angelos dici Dei filios, ſed ad ſimilitudinem filiorum bonorum alios a Deo eſſe dilectos, ac perpetua felicitate donatos; alios vero ad ſimilitudinem pravorum eſſe abdicatos; comparatione ab antiquorum more deſumpta, de quo Lactantius L. IV. cap. IV. ſeg. 5., & cap. XI. ſeg. 7., hac eadem ratione locutus eſt per relationem ad Hebræos.

alterum abdicavit, ut malum (p). *Poſtea autem multos genuit alios operum ſuorum miniſtros, quos Græci* ἀγγέλους *nominant, & illos unius* (q), *ſed repugnantis naturæ, qualis deorum* (r). *Sed pars illa corruptibilis, non utique ſtatim corrupta eſt in ortus ſui principio* (s). *Sed poſt compoſitum, ordinatumque mundum, ſicut mox docebimus, a ſubſtantiæ cæleſtis vigore perverſa volunta-*

(p) *Poſtea autem multos genuit alios* &c. I. E. creavit, ut ſæpe monuimus; & præſertim L.IV.cap.VIII. ſeg. 7. ubi de Angelis dicitur, quod *ad miniſterium creabantur*. An autem omnes eodem temporis momento creati fuerint Angeli? Quæſtio eſt a nobis agitata diſſ. XXVI. cap.I. §. IV.

(q) *Et illos unius, ſed repugnantis naturæ* &c. Intellige poſt lapſum ob voluntatis angelicæ inflexibilem adhæſionem ad id, quod ſemel elegit; nam paullo infra author declarat, omnes Angelos *pares, ac æqua conditione apud Deum* fuiſſe.

(r) *Sed pars illa corruptibilis* &c. Si pares, ac æqua conditione producti, vel omnes, vel nullus fuit corruptibilis; ſed obſerva Tò *corruptibilis* heic idem ſignificare, ac ſuo arbitrio *corrumpendus*: ſicuti quum de primo homine dicitur quod creatus fuit *mortalis*, non quia talis futurus in quocumque eventu fuiſſet, ſed quia, unde mortem ſubiret, in ſe habebat poteſtatem.

(s) *Sed poſt compoſitum, ordinatumque mundum, ſicut mox docebimus*. Angelos non ſtatim in ortus ſui prin-

te deſcivit. Cæterum in principio (t) *pares univerſi, æqua conditione apud Deum* (u) *fuere, & iccirco angeli omnes, quorum principes erant illi duo. Quum autem Deus ex his duobus alterum bono præpoſuiſſet, alterum malo, exorſus eſt fabricam mundi* (x) *omnibus his, quos creaverat miniſtrantibus, & per certa officia diſpoſitis.*

---

principio peccaſſe, dupliciter intelligi poteſt, ſcilicet, vel in primo inſtanti, ſuæ productionis, & in hoc ſenſu nec peccarunt, nec peccare potuerunt: Vel poſtea, nempe, ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis, & tunc non ſolum peccare potuerunt, ſed pars eorum tertia peccaſſe dicitur. Vide S. Thom. Q. LXIII. A. VI. P. P. Author autem hujus orationis errat, ſeu fundamentum heic jacit erroris, de quo infra dicturi ſumus ad cap. XV.

(t) *Pares univerſi æqua conditione* &c. Lactantius L. V. cap. XV. Al. XIV. ſeg. 16. *Omnes æquos, ideſt pares eſſe voluit eandem conditionem vivendi omnibus poſuit* Loquens de hominibus ait.

(u) *Omnibus his, quos creaverat miniſtrantibus* &c. De opere creationis hoc dicere nefas eſt; nam unus Deus ſine Angelorum miniſterio mundum creavit ex nihilo, ut Lactantius infra ſeg. 8. ait, & Moyſes in principio Gen: docuit. Iccirco vel explicanda iſta ſunt juxta ea, quæ diximus paullo ſupra, Nota (c), aut erraſſe authorem, dicendum eſt. Vide D. Thom. P. P. Q. LXV. A. III., & IV. diſſ. noſtram XXVI. cap. I. §. V.

(x) *Per certa officia diſpoſuit*. Hactenus oratio illa,

illa, quæ communiter heic interpoſita non ſine fundamento cenſetur, quæ etſi exponi poſſit, ut facere conati ſumus, incomode tamen Lactantio aptatur, neque heic locum obtinere poſſe videtur. Propterea de ea judicium noſtrum eſto quale dedimus ad *L. De Opificio Dei* cap. XIX. poſt ſeg. 9., & diſſ. XXXVII. cap. I. §. II. &c. ibidem indicatis.

7.

Exorſus igitur [a] Deus fabricam mundi, illum & primum, & maximum filium [b] præfecit operi univerſo, eoque ſimul & conſiliatore uſus eſt, & artifice [c] in excogitandis, ordinandis [d], perficiendiſque rebus: quoniam is & providentia [e], & ratione, & po-

a *Exorſus igitur Deus*. Vide quam bene, apteque etiam iſta ſuperioribus ſubjungantur, his deletis, quæ ab alia manu fuerant dolo malo inſerta.

b *Illum & primum, & Maximum filium*. Cave ne cum quibuſdam temere putes, plurimos Dei filios conſubſtantiales aſſerere heic voluiſſe Lactantium, aut Angelos Filio Dei coëquaſſe; Infra enim tam in hoc libro, quam in IV. divinitatem Verbi, ejuſdemque cum Patre in natura unitatem, atque Angelorum miniſteria perſpicue, ac catholice profitetur, ut nos ſuo loco in diſſertationibus oſtendemus.

c *Eoque uſus eſt conſiliatore & artifice*. Lactantius lib. IV. cap. VI. Id explicat ex iis, quæ habentur Prov. cap. VIII. cap. XXIV. Coloſ. I. v. 16.

d *In excogitandis, ordinandis*. Sic legit etiam Aldus Al. *ornandis*.

e *Et providentia*. Al. *& prudentia*. Al. *& pro-vi-*

teſtate perfectus eſt, de quo nunc parcius, quod alio loco *f* & virtus, & nomen ejus, & ratio enarranda nobis erit.

---

videntia, & prudentia. Sed noſtra lectio optima, nam, ut ſcite annotavit Bunem. Providentia correſpondet voci *Excogitandis*: ratio *ondinandis*: poteſtas *perficiendis*.

f *Alio loco*. Nempe L. IV, a cap. VI.

8.

Nemo quærat, ex quibus iſta materiis *a* tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit; omnia enim fecit ex nihilo *b*. Nec audiendi ſunt poetæ, qui ajunt: chaos in principio fuiſſe *c*, id eſt, confuſionem rerum, at-

---

a *Nemo quærat, ex quibus iſta materiis* &c. Ad hæc utinam reſpexiſſent Syſtematum conditores, & bonis horis, ac otio uſi melius fuiſſent! Non eſſet quidem hiſce temporibus Phyſica tot, tantiſque chimæris involuta, quæ tenebras, non lucem ſpargunt hominum ingeniis: vide diſſ. XXIV.

b *Omnia enim fecit ex nihilo*: Hoc eſt proprie creare: vide ubi ſupra.

c *Chaos in principio fuiſſe*; Sic Heſiodus in Lib. *de Gen. Deorum* v. 115. in editione, ac verſione Salviniana

Primo omnium quidem Chaos fuit

Et Ovidius L. I. Metam. Fab. 1. v. 1.

Ante Mare, & tellus, & quod tegit omnia Cælum
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos &c.

ut diximus L. I. Cap. V. Seg. 8. Per quam Poëtarum vo-

atque elementorum: poſtea vero Deum diremiſſe omnem illam congeriem, ſingulisque rebus ex confuſo acervo ſeparatis, in ordinemque digeſtis [d], inſtruxiſſe mundum pariter, & ornaſſe.

Qui-

---

vocem, confuſam quandam rerum omnium unitatem concipiebant antiqui, in qua omnia unum eſſet rudi, indigeſtaque mole compactum, ut explicat Auguſtin. *L. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. v. exerem*: Ethnici quidam, & præſertim Theogoniarum Scriptores, hocce Chaos, æternam, & quaſi materialem cauſſam rem omnium dixere, nihil de cauſſa efficiente cogitantes. Quamvis Edmundus Dickinſonus *Phyſ. Vet. & Ver. c. XII. p. 199.* putet, Heſiodum locutum fuiſſe de materia prima genita, & carmen illud vertat:

Principio quidem factum eſt Chaos. Hæc expoſitio autem fuit quorundam Philoſophorum, deinde etiam a Catholicis adoptata, qui eam Moyſi tribuunt Geneſ. I. 2. quaſi idem valeat vox Hæbraica *TOHU*, & *BOHU*, ac *CHAOS Græcum*: confirmantque ſententiam ſuam ex illo Sapien. XI. 18. *Creavit orbem terrarum ex materia inviſa*: ſeu ut Græci legunt ἀμόρφυ *informi*: Auguſtinus vero lib. 1. *de Gen. ad Literam* cap. XIV. & ſeq. laudatam authoritatem explicat: *Non quia informis materia formatis rebus tempore prior eſt, quum ſit utrumque ſimul concreatum, & unde factum eſt, & quod factum eſt*; habetque pro ſe hæc opinio illud Eccl. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*. Quæ ex iis fuerit Lactantii ſententia vide in diſſ. XXIV. cap. 1. §. III. & cap. ſeq.

d *In ordinemque digeſtis*. Sic Aldus. Al. *deſcriptis* Al. *diſcretis*.

9.

Quibus facile eſt reſpondere poteſtatem Dei non intelligentibus, quem credunt a nihil efficere poſſe, niſi ex materia ſubjacente, ac parata, in quo errore etiam philoſophi fuerunt.

---

a *Quem credunt* Sic etiam Aldus. Al *credant*.

10.

Nam Cicero a de natura deorum diſputans, ſic ait: *Primum igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam, ſed & habere* b*, & habuiſſe vim, & naturam ſuam.*

---

a *Nam Cicero*: Excidiſſe hunc locum ex lib. III. de Nat. Deor. putavit Iſæus, alii vero in fragmentis ex lib. I. annotarunt.

b *Sed & habere.* Al. *habere* ſine copula.

11.

Ut igitur faber, quum quid ædificaturus eſt, non ipſe fecit materiam, ſed ea utitur, quæ ſit parata, fictorque item cera: ſic iſti providentiæ divinæ materia præſto eſſe oportuit, a *non quam ipſa faceret, ſed quam ha-*

---

a *Non quam ipſa faceret*: Fulvius Urſinus ſic legere jubet: Al. *ipſe fecerit*: male; nam non *Fabri*; ſed *Providentiæ* Prænomen eſt Tò *ipſa*.

haberet paratam. Quod ſi materia non eſt a Deo facta, nec terra quidem, & aqua, & aer, & ignis a Deo factus eſt.

12.

O quam multa ſunt vitia in his decem verſibus[a]! Primum, quod is, qui in aliis diſputationibus, & libris fere omnibus providentiæ fuerit aſſertor, & qui acerrimis argumentis impugnaverit eos, qui providentiam non eſſe dixerunt: idem nunc, quaſi proditor aliquis, aut transfuga[b], providentiam conatus eſt tollere: in quo ſi contradicere velis, nec cogitatione opus eſt, nec labore: ſua illi dicta recitanda ſunt:

a *In his decem verſibus*: ſcilicet ſcripturæ lineis: Cicer. *pro Rabir*: Quum lex aliqua recitaretur, primum *verſum attenderet* &c.

b *Aut transfuga*: Hæc in nonnullis deſunt.

13.

Nec enim ab ullo poterit Cicero, quam a Cicerone vehementius refutari.

14.

Sed concedamus hoc mori, & inſtituto Academicorum[a], ut liceat hominibus valde libe-

a *Sed concedamus hoc mori, & inſtituto Academicorum*, Sic etiam Aldus. Academicæ Sectæ ſtudioſum fuiſſe Ciceronem, alibi docuimus. Al. *more* habent pro *mori*; ſed male Al. *hoc more*

liberis [b] dicere, ac ſentire quæ velint: ſententias ipſas [c] conſideremus. *Non eſt*, inquit, *probabile*, *materiam rerum a Deo factam*.

b *Ut liceat hominibus valde liberis*. Nimirum in utramque partem diſputare, nec uni ſemper adhærere ſolitis; quales eſſe ſe profitentur *viri illi fortes*, quibus cogitandi Libertas nullum limen conſtituit.

15.

Quibus hoc argumentis [a] doces? Non enim dixiſti, quare hoc non ſit probabile [b].

a *Quibus hoc argumentis doces? Non enim dixiſti*. Al. *argumentis probas? Nihil enim &c.* Aldus nobiſcum legit.

b *Non eſt probabile*. Materialiſtarum effatum, de quo vide diſſ. XXIV. cap. I. *de his vide Iſagogen noſtram* §. XXIII.

16.

Ita mihi a contrario vel maxime probabile videtur: nec tamen temere videtur cogitanti plus eſſe aliquid in Deo: quem profecto ad imbellicitatem hominis redigis, cui nihil aliud, quam opificium concedis.

17.

Quo igitur ab homine divina illa vis differt [a], ſi ut homo, ſic etiam Deus ope indi-

a *Quo igitur ab homine differt*. Al. *Quomodo ..... differt*. Nobiſcum legit etiam Aldus.

digeat aliena? indiget[b] autem ſi nihil moliri poteſt, niſi ab altero illi materia miniſtretur: quod ſi fit, imperfectæ utique virtutis eſt: & erit jam potentior judicandus mareriæ inſtitutor[c].

---

b *Indigeat.* Aldus *indiget*.

c *Materiæ inſtitutor*. Id eſt, author, *Fictor*, ſeu *Factor* ut al: legunt. Hac notione apud Pacatum *in Panegyr. Theod.* cap. VIII. *Veteres Inſtitutores* dicuntur Urbium conditores. Confer Auguſt. Epiſt. CXXII. Tertull. *de Monog. Cap. IV. & Adverſ. Marc. C.* V. Plinius hoc ſenſu lib. VII. cap. 56. *Quinqueremem*, inquit, *inſtituit Neſicthon Salaminius*: id eſt hujuſmodi navis author fuit.

18.

Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia Deum vincit? ſiquidem majus eſt, propria facere, quam aliena diſponere.

19.

Si autem fieri non poteſt, ut ſit potentius Deo quicquam, quem neceſſe eſt perfectæ eſſe virtutis, poteſtatis, rationis: idem igitur matariæ fictor eſt, qui & rerum ex materia conſtantium. Neque enim, Deo non faciente, & invito, eſſe aliquid aut potuit, aut debuit.

20.

Sed probabile eſt, inquit, *materiam rerum*

rum & habere, & habuiſſe ſemper naturam ſuam [a], *& vim*. Quam vim potuit habere, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habuit vim, ab aliquo eam ſumpſit [b].

a *Et habuiſſe ſemper naturam ſuam*: Al. poſtponunt *Tò ſemper*. Al. eam vocem non habent. Al. addunt, *& vim*, quæ poſtrema verba reſtituimus, utpote, quæ a ſequentibus indicantur. Aldus nobiſcum legit.

b *Eam ſumpſit*. Al. *aſſumpſit*.

21.

A quo autem ſumere, niſi a Deo, potuit? Porro ſi [a] habuit naturam, quæ utiquæ a naſcendo dicitur, nata eſt. A quo autem, niſi a Deo, potuit procreari? Natura enim, qua dicitis orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt: ſi autem generandi, & faciendi potens eſt: habet ergo conſilium, & propterea Deus ſit, neceſſe eſt.

a *Porro ſi*: Aldus ſic reſtituit.

22.

Nec alio nomine apellari poteſt ea vis, in bua ineſt & providentia excogitandi, et ſolertia, poteſtaſque [a] faciendi.

Me-

a *Et ſollertia, poteſtaſque*. Bon. *poteſtateſque*.

23.

Melius igitur Seneca [a] omnium Stoicorum acutiſſimus, qui vidit nil aliud eſſe naturam, quam Deus: *Ergo*, inquit, *Deum non laudabimus, cui naturalis eſt virtus? nec enim* [b] *illam didicit ex ullo. Imo laudabimus; quamvis enim naturalis illi ſit* [c], *ſibi illam dedit; quoniam Deus ipſa natura eſt* [d].

---

a *Melius ergo Seneca*. Walchius heic notat: *Ab hac ſententia abſtineamus: ſaltim probe explicanda, ne in errorem Spinozæ incidamus*. Jo. Georgius Geret fere idem innuere voluit; ſed ſtipitem eſſe oportet, qui velit ex hiſce Lactantii verbis Spinozæ impiam, improbabilemque opinionem fulcire, quum ex iis, quæ in hocce capite affert Lactantius, totum ejuſdem ſyſtema funditus evertatur. Vide diſſ. XXIV. Heic vero per *Tò melius* intellige, non abſolute loqui Lactantium, ſed comparate ad Ciceronis ſententiam.

b *Nec enim*: Aldus *Tò enim* non habet.

c *Naturalis illi ſit*: Sic etiam Aldus: Al. *Illa ei ſit*.

d DEUS IPSE NATURA EST. Al. *ipſe Deus eſt natura*. Al. *Deus ipſa natura eſt*. Aldus nobiſcum legit. Senec. de Benef. L. IV. cap. VII. Sic explicat hanc ſententiam ex Stoicorum principiis depromptam: *Quid aliud eſt natura, quam Deus, & divina ratio, toti mundo, & partibus ejus inſerta?* Quam non ſolum non ſequitur Lactantius, ſed infra validiſſime impugnat. Vide diſſ. XXIV.

24.

Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac de-

detrahis Deo, *In eodem luto hæſitans*, *verſura ſolvis*[a] *Geta*[b]. A quo enim fieri negas[c], ab eodem plane fieri mutato nomine confiteris.

Se-

---

a IN EODEM LUTO HÆSITANS, VERSURA SOLVIS. Al. *ſolves* Al. *hæſitas*. Al. *vorſura*. Al. *verſeram*. Al. *viſuram*. Al. *ſolius*. Al. *verſuram*. Aldus legit *hæſitans*, *verſuram*. Proverbia heic a Terentio uſitata conjunguntur, quibus ſignificatur, adeo eſſe aliquem negociis implicatum, ut ſe ab eis expedire nequeat, quin in alia injiciatur. Ab iis primum deductum eſt, qui ſimulac in lutum tenacem forte inciderunt, quum pedem unum conantur educère, altius altero ibidem infiguntur. Rurſus ut hunc extrahant, alium, quem eduxerant, iterum ibidem immergunt. *Verſura ſolvere* idem ſignificat, deſumpta methaphora ab eo, qui ære alieno gravatus, nequit debitum ſolvere, niſi ab alio tantundem mutuo, vel fœnore recipiat. Sunt qui perperam confundunt: *Facere verſuram*, ac *verſura ſolvere*. Sed longe errant, nam primum ſignificat pecuniam mutuam ab aliquo ſumure alieno ære ſolvendam. Secundum autem eſt debitum vetus diſſolvere novum contrahendo, & veluti ſingrapham vertendo, & *verſura ſolvere*, dicitur; Confer Rivii caſtigat: ad Terent. Phor. A. v. 11. 15.

b *Geta*. Aldus, & quidam alii hanc vocem non habent. Bon. habet *geſta* niale: eſt unus ex inter ſe loquentes in Terentii comædia.

c *A quo enim fieri negas*. Al. addunt *mundum* Al. *materiam* quæ potius debet ſubintelligi.

25.

Sequitur ineptiſſima comparatio: *ut faber* [a], inquit, *quum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed utitur ea, quæ ſit parata: fictorque item cæra: ſic iſti providentiæ divinæ materiam eſſe præſto oportuit, non quam ipſa faceret* [b], *ſed quam haberet paratam.*

a *Vt faber, inquit*: Sic legit Aldus. Al. *Vt faber enim* &c.

b *Non quam ipſa faceret*. Al. *ipſe*: male, ut ſupra Seg. 11. notatum eſt.

26.

Immo vero non oportuit: erit enim Deus minoris poteſtatis, ſi ex parato facit, quod eſt hominis. Faber enim ſine ligno nihil ædificabit [a]: quia lignum ipſum facere non poteſt: non poſſe autem, imbecillitatis humanæ eſt [b].

a *Nihil ædificabit*: Sic Aldus. *ædificabit* etiam legit Bunem. Al *ædificat*. Bon. *ædificavit*; quod non bene cum ſequentibus cohæret.

b *Imbecillitatis humanæ eſt*. Prima vox ſemper in noſtro codice cum duplici *cc* ſcribitur, quod ſemel monuiſſe ſatis eſt. Al. *Imbecillitate eſt humanæ*.

27.

Deus vero facit ſibi ipſe materiam, quia poteſt. Poſſe enim Dei eſt: nam ſi non poteſt, Deus non eſt.

28.

Homo facit ex eo, quod eſt: quia per mortalitatem imbecillis eſt: per imbecillitatem, definitæ, ac modicæ poteſtatis. Deus autem facit ex eo, quod non eſt: quia per æternitatem fortis eſt: per fortitudinem, poteſtatis immenſæ, quæ fine, ac modo caret, ſicut vita factoris.

29.

Quid ergo mirum, ſi facturus mundum Deus, prius materiam, de qua faceret, præparavit: et præparavit ex eo [a], quod non erat? quia nefas eſt, Deum [b] aliunde aliquid mutuari, quum ex ipſo, vel in ipſo [c] ſint omnia.

---

a *Præparavit, & præparavit ex eo.* Quidam non habent, *& præparavit*, ſed neceſſaria ſunt ad exprimendum unde Deus materiam illam præparavit, nempe *ex eo, quod non erat*: id eſt *ex nihilo*, ut ſup. ſeg. 8. jam dixerat. Nobiſcum legit Aldus.

b *Quia nefas eſt, Deum.* Al. *nefas eſſet Deum.* *Lego*, inquit, *audacius, ſed juſtus impulſus cauſſa: Quin nefas eſt credere Deum aliunde aliquid &c.* Erravit tamen; nam heic *nefas eſt, non impium eſſe*; ſed *eſſe impoſſibile* ſignificat: quemadmodum apud Horat. 1. Carm ode XXIV. ℣. 20.

Durum, ſed levius fit patientia
Quicquid corrigere eſt nefas.

Item Cicero: *Indicare in vulgus, nefas.* Latinum reddens, quod Plato dixerat in Timæo *ἀδύνατον*.

c *Quum vel ex ipſo; vel in ipſo.* Al. *in ipſo, vel*

ex

ex ipſo. Optima hæc rerum diſtinctio eſt, ut creatas ab increatis rebus diſcernamus. Quicquid enim in Deo eſt, Deum eſſe neceſſe eſt. Plura tamen a Deo ſunt, quæ unum cum ipſo in natura eſſe non poſſunt: ſicuti creaturæ ab eo productæ. Verbum autem divinum, quia in Deo, & ex Deo unum in naturâ eſt, ipſe Deus eſt. Vide diſſ. xxix.

30.

Nam ſi eſt aliquod ante illum; ſi factum eſt quicquam non ab ipſo, jam [a] poteſtatem Dei, et nomen amittet. *At enim* [b] *materia nunquam facta eſt, ſicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum.*

a *Nam ſi eſt aliquod ante illum; Si factum eſt quicquam non ab ipſo; jam* &c. Sic ex noſtro codice reſtituo lectionem hanc in omnibus editis perperam immutatam, ab Aldo eodem modo reſtitutam.

b At enim. Nova Naturaliſtarum replica, quam ſtatim præfocat Lactantius.

31.

Duo igitur conſtituuntur æterna, et quidem inter ſe contraria: quod fieri ſine diſcordia, et pernicie non poteſt. Collidant enim neceſſe eſt ea, quorum vis, et ratio diverſa eſt: ſic utraque æterna eſſe non potuerunt [a], ſi repugnant: quia ſuperare alterum neceſſe eſt.

a *Non potuerunt*. Sic Aldus; Al. *non poterunt*.

32.

Ergo fieri non poteſt, quin æterni natura ſit ſimplex: ut inde omnia, velut ex fonte, deſcenderint. Itaque aut Deus ex materia ortus eſt: aut materia ex Deo; quid horum ſit verius, facile eſt [a] intelligi.

a *Quid horum ſit verius facile eſt intelligi*. Scilicet comparate ad ſuperiora. Al. *eſt verius, facile eſt*.

33.

Ex his enim duobus alterum ſenſibile eſt, alterum caret ſenſu; et poteſtas [a] faciendi aliquid non poteſt eſſe, niſi in eo, quod ſentit, quod ſapit, quod cogitat, quod movetur.

a *Et poteſtas*. Al. copulam tollunt, & novam periodum incipiunt. *Poteſtas*,

34.

Nec incipi, aut fieri, aut conſummari quicquam poteſt, niſi fuerit ratione proviſum, et quemadmodum fiat antequam eſt, et quemadmodum conſtet poſtquam fuerit effectum [a]. De-

a *Et quemadmodum fiat antequam eſt, & quemadmodum conſtet poſtquam fuerit effectum*. Bon. *& quemadmndum conſtet* &c. prætermiſſis ex oſcitantia Librarii antecedentibus, quæ mediant inter utrumque orationis membrum. Al. ſecundam copulam delent, alii loco illius bis disjuntivam adhibent. Nos ex Aldo lectionem omnibus probatam reſtituimus.

35.

Denique is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum, et manus ad id [a], quod voluit, implendum. Quod autem inſenſibile eſt, iners, et torpidum ſemper jacet: et nihil inde oriri poteſt, ubi nullus eſt motus voluntarius:

a *Et manus ad id*. Intellige generatim aliquid conjunctum artifici, per quod operetur, quod in Deo virtus Dei, & ipſe Deus eſt: Unde in ſcripturis dicitur: *Manus Dei: digitus Dei: a dextris virtutis Dei*. Vide diſſ. xxix.

36.

Nam ſi omne animal ratione non conſtat: certe naſci ex eo non poteſt, quod ratione præditum eſt [a]: nec aliunde accipi poteſt id, quod ibi, unde petitur, non eſt.

a *Nam ſi omne animal ratione non conſtat: certe naſci ex eo non poteſt, quod ratione præditum eſt*. Al. *ratione conſtat.... præditum non eſt*. Quæ lectio etſi ab Aldo non emendata; tamen cum ſequentibus non congruit, & pravum ſenſum Lactantio affingit; quaſi omnibus indiſcriminatim animantibus humanam tribuat rationem; a qua iniqua cenſura Lactantium vindicamus diſſ. xxv. ſenſus autem heic eſt. Si omne & quodcumque animal non conſtat eſſe productum ab aliquo, qui ratione ſit præditum, certe a nullo animal aliquod naſci poterit, quod ratione præditum ſit; unde enim accipiet, quod nuſquam eſt, uti contingeret, ſi Deus eſſet ex materia, quæ omnis eſt expers rationis?

37.

Nec tamen commoveat aliquem, quod animalia quædam de terra naſci videntur. Hæc enim non terra per ſe gignit, ſed ſpiritus Dei [a]: ſine quo nihil gignitur [b].

---

a *Sed Spiritus Dei*. Gradum vitæ animalibus a non vivente tradi non poteſt: alias enim effectus, cauſæ efficienti in eodem genere præſtaret: Ideoque Philoſophi vel animalia omnia ex ovis produci, vel intelligentias motrices gradum vitæ animalibus, quæ ex putri naſci poſſe putant, tribuere, contendunt. Vide Diſſ. xxv.

b *Sine quo nihil gignitur*. Sine prima aliqua, & quidem ratione prædita, & univerſali cauſſa, impoſſibile eſt aliquod produci a ſecunda; alias enim ſemper idem manet argumentum, quo hactenus materialiſtas oppreſſit Lactantius.

38.

Non ergo Deus ex materia; quia ſenſu præditum ex inſenſibili, ſapiens ex bruto [a], im-

---

a *Sapiens ex bruto*. *Brutum* ſubſtantive ſumptum ab antiquis, puriſque Latinis non reperio uſurpatum; quamvis recentiores, & medii ævi ſcriptores paſſim *bruta* pro irrationabilibus animantibus uſurpent. Idem Lactantius alibi, *brutum ſenſibili* oppoſuit, heic vero, quum *ſenſu præditum inſenſibili* contra poſuerit, & *Brutum ſapienti*, neceſſe eſt dicere, innuere voluiſſe per *Tò brutum* idem ac ſtolidum, & fere ſenſu communi carentem. Vide quæ a nobis dicta ſunt ad Carmen *de Paſſ. Dom.* ℣. 16.

impatibile de patibili [b], expers corporis [c] de corporali nunquam poteſt oriri: ſed materia potius ex Deo eſt.

b *Impatibile de patibili*. Al. *de impaſſibili* aut *impaſſibili*. Active hanc vocem raro a bonis uſurpari notavit Walchius; Bunem. Ciceronem III. *de Nat. Deor.* cap. XII., *naturam patibilem* dixiſſe obſervavit; quamvis in IV. Tuſcul. quæſt. ubi *patibiles dolores* dixit paſſive eandem vocem etiam uſurpaverit.

c *Expers corporis*: Obſerva quam diſerte Deum Lactantius aſſerat incorporeum.

39.

Quicquid enim eſt ſolido, et contrectabili [a] corpore, accepit externam vim [b]: quod accipit vim, diſſolubile eſt: quod diſſolvitur, interit [c]: quod interit, ortum ſit, neceſſe eſt: quod ortum eſt, habuit fontem, un-

a *Solido, & contrectabili*. Al. *contractabili*. Al. *incontrectabili*. Male. Bunem. hanc vocem a Tertulliano uſurpatam docet. Adde Auſonium. *Parent.* IX. v. 3.

b *Accipit externam vim*. Id eſt, ab alio movetur. Cicer. de Nat. Deor. III. c. XII. Bunem. explicat, *obnoxium injuriæ*, ſeu quod *lædi poteſt*. Sed hoc ex mobilitate procedit, ut bene per gradationem demonſtrat Lactantius.

c *Quod diſſolvitur interit*. Sic editi typis, ac Mss. libri omnes præter Bonon. qui habet: *interibit* eodem ſenſu; nam ſervata etiam communi lectione ſub intelligi debet, *tandem*, vel quid ſimile, non enim ſta-

unde oriretur, id eſt, factorem aliquem [d] ſentientem, providum, peritumque faciendi [e]: is eſt profecto, nec ullus alius quam Deus.

ſtatim interit, quicquid paulatim diſſolvitur.

d *Id eſt, factorem aliquem.* Al. *fictorem*, quod melius, & purius vocabulum eſt ſæpe in noſtro codice exaratum, correctumque.

e *Peritumque faciendi.* Al. *peritum.*

40.

Qui quoniam ſenſu, ratione, prudentia [a], poteſtate, virtute præditus eſt: et animantia, et inanima [b] creare, et efficere poteſt: quia tenet, quomodo ſit quicque faciendum [c].

a *Prudentia*, Sic Aldus Al. *providentia*. Noſtra lectio aptior, nam ex prudentia providentiam vi argumentorum deducere vult Lactantius.

b *Et animantia, & inanima.* Al. *& inanimantia.* Al. *& inanimata*: Sed nihil immutandum; ut ſuperius obſervavimus ex Cic. II. de offic. *partim ſunt inanima, ut aurum* &c.

c *Sit quicque faciendum*; Al. *quidque ſit faciendum*

41.

Materia vero ſemper fuiſſe non poteſt: quia mutationem non caperet, ſi fuiſſet [a].

Quod

a *Si fuiſſet*: ſubintellige *ſemper*.

Quod enim ſemper fuit, non deſinit [b]: et unde abfuit principium, abeſſe hinc etiam finem neceſſe eſt [c]. Quin etiam facilius eſt [d], ut id, quod habuit initium, fine careat: quam ut habeat finem, quod initio caruit.

b *Quod enim ſemper fuit, non deſinit.* Al. *ſemper, eſſe non deſinit.* Aldus legit nobiſcum.

c *Et Unde abſuit principium, abeſſe hinc etiam finem neceſſe eſt.* Al. *abeſſe hic.* Bon. ac Aldus *& unde fuit principium eſſe hinc etiam finem:* Quæ lectio retineri poſſet ſi cum ſequentibus congrueret; explicatione tamen indigeret, ne Anima noſtra, & Angeli finem habituri eſſe viderentur, dicique deberet, quod quemadmodum hujuſmodi ſubſtantiæ ſpirituales non ſunt ex materia, ſed ex nihilo productæ, ita ſi Deus eas deſtruere vellet, in nihilum eſſent redigendæ: cui expoſitioni totam vim tribuerent particulæ illæ *unde: hinc.* Ut alibi dicemus. Vide diſſ. XXVI.

d *Facilius eſt.* Notanda propoſitio ad firmandam expoſitionem, quam immediate dedimus nota ſuperiori.

42.

Materia ergo [a] ſi facta non eſt: nec fieri ex ea quicquam poteſt. Si fieri ex ea non poteſt, ne materia quidem erit. Materia enim eſt, ex qua fit aliquid. Omne autem, ex quo fit, quia recepit opificis manum, deſtruitur, et aliud eſſe incipit.

Er-

a *Materia ergo.* Al. *materia igitur.*

43.

Ergo quoniam finem habuit materia, tum, quum factus eſt ex ea mundus: & initium quoque habuit. Nam quod deſtruitur, ædificatum eſt: quod ſolvitur, alligatum: quod finitur, inceptum eſt. Si ergo ex commutatione, ac fine materia colligitur habuiſſe principium: a quo alio fieri, niſi a Deo, potuit?

44.

Solus igitur Deus eſt, qui factus non eſt: & iccirco deſtruere alia poteſt, ipſe deſtrui non poteſt: permanebit ſemper in eo, quod fuit: quia non eſt aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re altera pendet[a], quæ illum mutet, ac diſſolvat[b]. Ex ſeipſo eſt[c], ut in primo diximus libro, & ideo talis eſt, qualem ſe eſſe voluit, impaſſibi-

a *Nec nativitas ejus ex aliqua re altera pendet*. Bon. *ac nativitas* &c. male. Al. *nec nativitas ejus ex aliqud alia* &c. Sic Aldus. Nobiſcum legit etiam Schottus; ſed non amplius ex Codice Cæſarauguſtano, in quo reliqua deficere uſque ad L. v. c. xvi. teſtatur.

b *Quæ illum mutet, ac diſſolvat*. Al. *quæ mutata illum diſſolvat*. Al. *qua mutata*. Al. *quæ illum mutata*. Aldus nobiſcum legit.

c *Ex ſe ipſo eſt*. Hinc exponitur quid ſibi voluit Lactantius L. I. cap. VII. Seg. 13., ut patet diſſ. XXVIII. cap. VI. §. III.

ſibilis [d], immutabilis, incorruptus, beatus, æternus.

d *Impaſſibilis*. Vide quæ a nobis annotata ſunt l. 1. c. v. Seg. 23.

45.

Jam vero illa concluſio, qua ſententiam terminavit [a], multo abſurdior: *Quod ſi materia*, inquit, *a Deo non eſt facta, ne terra quidem* [b], *& aqua & aër, & ignis a Deo factus eſt*.

a *Jam vero illa concluſio, qua ſententiam terminavit*. Al. addunt *Tullius*. Al. *Cicero*. Sed poteſt utrumque abeſſe, quum optime intelligatur de eodem ſermo fueri.

b Ne terra quidem &c. Al. *nec terra*. Callide deductam hanc conſequentiam merito dicit Lactantius, quia etſi poſſit inferri, elementa non eſſe ab alio producta, ſi ab alio producta non eſſet materia ipſa, ex qua elementa conſtant; abſurdum tamen eſt utrumque colligere ex præmiſſis nondum demonſtratis. Hoc quippe eſt, argumentum ſumere ex incerto ad evertendum quod certum eſt, & falſum, ex falſo colligere. Vide diſſ xxiv. Simile argumentationis vitium reprehendit Lactantius Cap. v. *de Ira Dei* Seg. 17.

26.

Quam callide periculum prætervolavit! Sic enim ſuperius illud aſſumpſit, tanquam probatione non indigeret: quum id multo eſſet incertius, quam illud propter quod aſſum-

ſumptum eſt. *Si non eſt*, inquit, *a Deo facta materia: nec mundus a Deo factus eſt*.

47.

Ex falſo maluit colligere, quod falſum eſt, quam ex vero, quod verum. Et quum debeant incerta de certis probari: hic probationem ſumpſit ex incerto, ad evertendum, quod erat certum.

48.

Nam divina providentia effectum eſſe mundum, ut taceam de Triſmegiſto, qui hoc prædicat, taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nuntiant, taceam de Prophetis [a], qui opus mundi, ac opificium Dei uno

a *Taceam de Prophetis*. Betulejus, & ex eo alii putant heic non de veris Prophetis mentio fieri; ſed de paganis, puta de Orphæo, Zoroaſtre, Perſarum Magis, Gallorum Druidis, vel Semnotheis, aliiſque Ethnicorum Vatibus, qui Prophetæ a ſuis audiebant gentilibus, quibus futura revelare dicebantur. Iſæus verò legitimos Hebræorum Prophetas intelliendos eſſe contendit, quos tamen facile conciliare poſſumus, ſi omnes generatim heic intelligantur tam veri, quam falſi vates; nam quamvis Lactantius adverſus Ethnicos diſputans argumenta ab authoritate illorum deſumere ſapientiſſime conſueverit, quos ab eis reſpui fas non erat, non tamen divinis teſtimoniis omnino uti noluit, quum ratio argumentorum illa expoſtulare videbantur. Nec mirum ſi de eis indiſcriminatim lo-

uno ſpiritu, ac pari voce teſtantur: etiam inter philoſophos pene univerſos convenit. Idem etiam Pythagorici, Stoici, Peripatetici, quæ ſunt principales omnium diſciplinæ[b].

---

loquens ſtatim addat. *Opificium Dei uno ſpiritu, ac pari voce teſtantur*. Nam Spiritus vocabulo heic intelligi optime poteſt loquentium vis, actio, efficacia, conſtantia, ut apud Ciceronem ad Q. F. L. 1. Epiſt. 2. *Quem hominem? qua ira? quo Spiritu?* Vel etiam de Spiritu Sancto, qui tam per veros, quam per falſos Prophetas vera loqui non raro conſuevit. Vide diſſ. XL.

b *Quæ ſunt principales omnium diſciplinæ*. Sic & Aldus. Al. *qui ſunt principes omnis diſciplinæ*. Al. *quæ ſunt principes omnium diſciplinæ*: Ex præcedentibus ſubaudi *teſtantur*: Adjectivum *principale* ſæpe a Lactantio uſurpatur, & in noſtra lectione aptius eſt; quum non de Philoſophis ipſis, qui vere principes Maximarum ſectarum dici merito poſſunt; ſed de ſectis ipſis, ab iiſdem inſtitutis, ſermo fiat. Sic Cicero de Fato dixit. *Cauſſæ principales*. Gellius L. XI. cap. 13. *verba principalia* &c. Ciceco de N. D. L. 1. quum de hominibus loqueretur: *Tres*, inquit, *trium diſciplinarum Principes conveniſtis*.

49.

Denique a primis illis ſapientibus[a], ad So-

---

a *A primis illis ſapientibus*. Scilicet, qui ſeptem Græciæ ſapientes appellantur, de quibus alibi locuti ſumus. Al. *illis ſeptem*.

Socratem, & uſque ad Platonem [b] pro confeſſo, & indubitato habitum eſt: donec unus multis poſt ſeculis extitit delirus Epicurus [c], qui auderet negare id, quod eſt evidentiſſimum, ſtudio ſcilicet inveniendi nova [d], ut nomine ſuo conſtitueret diſciplinam.

Et

b *Ad Socratem, & uſque ad Platonem*. Al. *a Socrate uſque ad Platonem.* Male: heic enim innuit Lactantius, quod a primis Philoſophiæ incunabulis, quæ ſecundum Stanlejum *in conſpectu Chronologico Philoſophorum Græcorum* referuntur ad Ann. III. Olym. XLIX. Damaſia Archonte, uſque Platonis magiſtrum Socratem, qui mortuus dicitur ann. I. Olym. XCV. pro comperto habitum eſt, mundum providentia divina regi, & effectum eſſe; de quo tamen vide a nobis dicta diſſ. XXVII. ubi de Atheis.

c *Donec multis poſt ſæculis exſtitit delirus Epicurus*. Walchius heic, ſe non videre profitetur quo jure Lactantius acerrime Epicurum perſtringat, quam querelam alibi a nobis remotam, heic prætereundam putamus. An vero Epicurus primus fuerit, qui Providentiam negaverit? Vide diſſ. noſtram immediate ſupra laudatam. De tempore autem, quo floruit, diſſ. XL. in ejus elogio diſſeruimus.

d *Studio inveniendi nova*. Non unum Epicurum ad inſaniam hocce veſanum ſtudium adegit; ſed pene innumeros, quos ad hanc uſque diem a via jam aperta veritatis, & obvia turpiſſime aberrant, per quam ſi recta incedere vellent, ò quam præclara ingeniorum ſuorum monumenta relinquerent! ò quam ingentia impedimenta poſſent de medio removere!

50.

Et quia nihil novi potuit reperire [a]: ut tamen diſſentire a cæteris videretur, vetera voluit evertere [b], in quo illum circumlatrantes philoſophi omnes coarguerunt. Certius eſt igitur, mundum providentia inſtructum, quam materia providentiam conglobatam [c].

a *Nihil novi potuit reperire*. Non enim primus atomorum Syſtema reperit Epicurus, quamvis primus Deum humana minime curantem inducere, viſus ſit.

b *Vetera voluit evertere*. Al. *cætera* male. Deſipere enim eum neceſſe eſt, qui id negat, quod omnium natura conſentit, quod omnis retro ætas teſtatur, quod docti pariter, & indocti percipiunt.

c *Quam materia providentiam conglobatam*. Sic ex noſtro Cod., & ex Aldi correctione depravatam in vulgatis lectionem reſtituo, ubi alii legunt *quam Materiæ providentia conglobatum*. Al. *quam materiam providentia conglobatam*. Senſus quippe eſt: certius eſſe, ac facilius humana ratione percipi poſſe, materiam eſſe a Deo productam, & mundum a divina providentia eſſe inſtructum, quam ipſam divinam providentiam ex materia eſſe compactam; quod dilemma diſſolvitur ſeg. 32. Sic propoſitum: *aut Deus ex materia ortus eſt, aut materia ex Deo*.

51.

Quare non oportuit putare mundum iccirco non eſſe divina providentia factum, quia materia ejus divina providentia facta non ſit: ſed quia mundus divina providentia ſit

eſſe-

effectus, etiam materiam factam eſſe divinitus [a].

a *Etiam materiam factam eſſe divinitus*. Al. *& materiam eſſe factam divinitus*.

52.

Credibilius eſt enim materiam potius a Deo factam, quia Deus poteſt omnia: quam mundum a Deo non eſſe factum: quia ſine mente, ratione, conſilio nihil fieri poteſt.

53.

Verum hæc non Ciceronis eſt culpa, ſed ſectæ [a]. Quum enim ſuſcepiſſet diſputationem, qua deorum naturam tolleret [b], de qua philoſophi garriebant, omnem divinitatem ignorantia veri putavit eſſe tollendam.

a *Verum hæc non Ciceronis eſt culpa; ſed Sectæ*. Jure heic a Lactantio Tullius excuſatur, qui in Dialogis de Natura Deorum Auditoris perſonam geſſit, quum Vellejus Epicuri, Cotta Academicorum, Lucilius Stoicorum partes propugnarent.

b *Ignorantia veri putavit eſſe tollendam*. Bon. *ignorantiam veri putet* &c. prave.

9.

Itaque deos potuit tollere [a], qui non erant;

a *Deos potuit tollere*. Equidem miror, hominem ſanæ mentis reperiri potuiſſe; qui lectis Tullii de Na-

erant; quum autem providentiam divinam, quæ eſt in uno Deo, conaretur evertere: quia contra veritatem niti cæperat, deficientibus argumentis, in hanc foveam neceſſario decidit, unde ſe extricare non potuit [b]. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quia Lucilius [c], qui contra diſſerebat, obmutuit.

Natura Deorum libris, adhuc crederet vera eſſe, quæ de ſuis Numinibus Ethnici credidiſſe dicebantur. *Mirabile* enim, ut idem ait Cicero L. ex. his primo, *videtur, quod non rideat Aruſpex, quum Aruſpicem viderit*. Sed hoc mirabilius, quod ipſe riſum tenere poſſet quum de eorundem Deorum violata religione incredibili facundia declamabat.

b *Unde ſe extricare non potuit.* Al. *non poſſet*. Nobiſcum Aldus.

c *Quia Lucilius*. Sic recte. Al. prave. *Quo Lucilius*. Aldus *qua*: novum heic, ac urgentius argumentum ſuperaſtruit Lactantius, ubi Lucilius *obmutuit*: Bon: *ommutuit*.

55.

Hic eſt cardo rerum: hic vertentur [a] omnia. Explicet ſe Cotta, ſi poteſt, ex voragine [b]: proferat argumenta, quibus doceat, ſemper fuiſſe materiam, quam nulla providentia effecerit. Oſtendat, quomodo quic-

a *Hic eſt cardo rerum: hic vertentur*: Al. *Hic eſt ergo . . . vertuntur*.

b *Ex voragine*: Al. *ex hac voragine*.

quam ponderoſum, & grave aut eſſe potuerit ſine authore: aut immutari voluerit, ac deſierit eſſe, quod ſemper fuit; ut inciperet eſſe, quod nunquam fuit.

56.

Quæ ſi docuerit: tum demum aſſentiar, ne mundum quidem divina providentia conſtitutum: & tamen ſic aſſetiar, ut aliis illum laqueis teneam.

57.

Eodem enim, quo nolet [a], revolvetur, ut dicat *& materiam, de qua mundus eſt, & mundum, qui de materia eſt, natura extitiſſe* [b]:

a *quo nolet*: Al. *quo nollet*. Vide quam egregie id Lactautius præſtiterit.

b MATERIAM, DE QUA MUNDUS EST, ET MUNDUM, QUI DE MATERIA EST, NATURA EXTITISSE. En Epicureorum Syſtema, a materialiſtis adoptatum.

58.

Tum ergo [a]: ipſam naturam Deum eſſe contendam. Nec enim poteſt facere mirabilia, id eſt maxima ratione conſtantia, niſi qui habet mentem, providentiam, poteſtatem.

a *Tum ergo jam ipſam naturam Deum eſſe contendam*. Sic Aldus Al. *qunm ego*. Al. *Tum ego*. Senſus eſt: ſi dicant a Natura materiam, & mundum factum eſſe

eſſe, ejuſque virtute extitiſſe, tum concludam, id, quod ipſi naturam vocant, Deum eſſe, a materia quidem, & mundo diſtinctum, iiſque præexiſtentem; Nihil enim, quod non exiſtit, alteri exiſtentiam poteſt tribuere, nec ſimul verum eſſe poterit quod exiſtat, & non exiſtat. Vide ergo quam longe a Lactantii mente prætergreſſus ſit Walchius, quum ſeg. 23. Lectores monuit, ne ex Lanctantii verbis, quibus Senecam laudabat, in Spinozæ errorem inciderent, quem hac ratione jugulat Lactantius, ut ad evidentiam demonſtramus diſſ. XXIV.

59.

Ita fiet, ut Deus fecerit omnia, nec quicquam eſſe poſſit omnino, quod non orignem a Deo traxerit.

60.

At idem quotiens Epicureus eſt [a], ac non vult a Deo factum eſſe mundum: quærere ſolet, *quibus manibus*, *quibus machinis*, *qui-*

a *Quotiens Epicureus eſt.* Sic ſcripſiſſe Lactantium, minime dubito; apud veteres enim, teſte Pierio, non aliter hocce adverbium ſcribebatur: *In omnibus*, inquit, *quos evolverim* quoties *per* ns *ſcriptum obſervavi: quibus adſtipulatur Caper Grammaticus, ubi dicit: Sine* n *ſcribenda ſunt* Millies, *centies*, *decies: totiens*, *& quotiens quum ſcribuntur per* ns *ſcribenda ſunt. In cujus ſententiam Victorinus etiam deſcendit.* Hactenus Pierius ad Virgil. Ecl. III. v. 72. Ubi tamen Florentinus codex a Foggino editus legit: *O quoties &c.* ſicuti jamdiu uſus obtinuit.

quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit? b. Videre potuiſſes, ſi fortaſſe eo tempore potuiſſes eſſe, quo Deus fecit c.

b TANTUM HOC OPUS FECERIT? Al. *hoc tantum opus*. C. Vellejus Epicureus apud Cicer. L. I. de Natura Deor. *Quæ molitio, ajebat, quæ ferramenta, qui vectes, quæ Machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerunt? &c.*

c *Videre fortaſſe potuiſſes, ſi eo tempore potuiſſes eſſe, quo fecit*: Sic Lectionem cum Aldo reſtituo, ubi Al. legunt. *Videre fortaſſe ſi eo tempore potuiſſet eſſe, quo fecit*. Al. *vidiſſes, ſi potuiſſes*. Al. *quo Deus fecit*.

61.

Sed ne perſpiceret homo Dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, niſi perfectis omnibus a; ſed ne induci quidem poterat.

a SED NE PERSPICERET HOMO DEI OPERA, NOLUIT EUM INDUCERE IN HUNC MUNDUM NISI PERFECTIS OMNIBUS: Monet heic Walchius, dubiam eſſe hanc ſententiam, & pie explicandam. Inſuper eſſe conjecturam Lactantii, fundamento carentem; Sed erravit; nam optima argumentatio eſt: Deus quicquid voluit fecit; ergo noluit, quod non fecit. Imo nec Lactantii ſunt hæc verba.

62.

Quomodo enim ſubſiſteret, quum a fabricaretur deſuper cælum, terraque ſubter fundare-

a *Quomodo enim ſubſiſteret, quum &c.* Iſæus: *Quomodo autem ſubſtitueret*.

retur [b], quumque, fortaſſe humida, vel nimiis rigoribus corporata creſceret [c], vel
 igneis

b *Terramque ſubter fundaretur*: Al. verbum compoſitum *ſubterfundaretur* fecerunt. Al. *terra ſubterque fundaretur*. Al. *ſubtus fundaretur*: Et a Walchio, ut dictio minus latina notata eſt. At Cicero in Somn. Scipion. *Deinde*, inqnit, *ſubter mediam fere regionem &c.* Item III. *de Orat.*: *qui omnia hæc, quæ ſupra, & ſubter &c. Fundo* verò verbum latinum eſt, paſſim a bonis uſurpatum, & congrue heic cum ſuperioribus adhibitum; ait enim, *quum fabricaretur deſuper Cælum, terraque ſubter fundaretur*: Ideoque non video quare cenſorio ſtylo ſit a Criticis hæc locutio confixa: Alluſiſſe autem videtur Lactantius ad illud Pſal. XXIII. v. 2. *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum*, de orbe terrarum loquens, & ad illum Pſal. CXVIII. v. 9. *Fundaſti terram, & permanet*: *Fundo* enim idem valet ac *fundamentum ponere*, ſeu *ſtabilire*, conſone ad ea, quæ de telluris immobilitate dixerat Lactantius L. II. Cap. V. ſeg. 1. vide diſſ. XXIV.

c *Quumque fortaſſe humida, vel nimiis rigoribus corporata creſceret*: Sic hanc lectionem cum Aldo, fere in omnibus vitiatam, ex noſtro codice reſtituo, ubi Al. *torporata concreſceret*. Walchius marte ſuo: *corpora humida vel nimiis rigoribus concreſcerent*. Latini tam active, quam paſſive *corporo*, & *corporor* dixere; diverſa tamen ſignificatione: *corporare* enim aliquando fuit pro *interficere*, ut ex Ennio obſervavit Nonnius, & ex Accio Sypontinus, uſurpatum; *Corporari* vero pro eo quod eſt *corpus effici*: Lib. VII. cap. XV. dixit Plinius: *tempore ipſo animatur, corpora-*

igneis caloribus incocta, et ſolidata, dureſceret? Aut quomodo viveret, ſolo nondum inſtituto [d], nec frugibus, aut animalibus

---

raturque. *Corporatus* autem participium eſt Ciceronianum; Tullius namque IV. de Univerſ. ait, *undique corporatus*. Quare non eſt, quid heic Critici reprehendant; & multo minus ii, qui de rebus Phyſicis ſunt periti, qualem ſe non eſſe oſtendit Langletius quum ait: *Cum rigoribus minus congruit*. Neſcire, enim demonſtrat, quod quamvis verum eſt, liquida quum concreſcunt, minus occupare ſpatium, ſolida tamen, ſi humida rigoribus exponantur, ſtatim penes ſaperſiciem inflari, creſcere, elevari, & tandem diſrumpi; ut hyberno tempore videmus in arborum quorundam corticibus, atque in hortorum, viridariorumque ambulacris; quæ heic aptiſſima ſunt ad Lactantii mentem, ac ejus phyſicam eruditionem declarandam.

d *Aut quomodo viveret nondum ſolo inſtituto*. Al. *Sole nondum inſtituto*. Nobiſcum Aldus, & plurimi legunt, & lectio noſtra cum ſequentibus magis congruit, ubi de frugibus, ac de animalibus, ad vitam hominis alendam neceſſariis, loquitur. Contradicunt Iſæus, Walchius, & Buneman: quia *de ſolo, ſive terra Lactantius jam dixerat*. At ſi ad hujuſce vocis ſignificationem attendamus lectionem noſtram, omnino retinendam judicabimus. Nam *Solum* non Tellurem proprie ſignificat; ſed quidquid alicui rei ſubjacet. Iccirco Virgil. æn.v. ℣. 199. *ſolum Navis mare eſſe* dixit

.... Vaſtis tremit ictibus ærea puppis.
Subtrahiturque ſolum:

ubi

bus [e] natis? Itaque neceſſe fuit [f] hominem poſtremo fieri, quum jam mundo, cæteriſque rebus manus ſu uma eſſet impoſita.

ubi Servius: *Unicuique rei*, inquit, *quod ſubjacet*, *ſo-lum ei eſt: unde eſt ſolum Navis mare; & aer avium; & Stellarum Cælum*: Ovid.

Aſtra tenent Cæleſte ſolum &c.

& eſt verbum, cujus perlucida natura non invenitur: Vide ergo quam proprie heic loquatur Lactantius di-cens: Quomodo poterat homo in mundum introduci, nondum *ſolo inſtituto*, id eſt, ſtatuto, obfirmato, ædi-ficato loco, in quo, & a quo ſuſtentaretur?

e *Aut animalibus*- Al. *nec animalibus*.

f *Itaque neceſſe fuit &c.* S. Gregorius Nyſſen. L. de *Opif. Hominis* cap. II. etiam alias addidit rationes, ut notavit Iſæus.

63.

Denique ſanctæ literæ docent, hominem fuiſſe ultimum Dei opus, et ſic inductum eſſe [a] in hunc mundum, quaſi in domum jam paratam, et inſtructam: illius enim cauſſa facta ſunt omnia.

a *Et ſic inductum eſſe*. Al. *fuiſſe*.

64.

Idem etiam poetæ fatentur. Ovidius perfecto jam mundo, et univerſis animalibus figuratis, hoc addidit:

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ

Deerat adhuc, & quod dominari in
cætera poſſet.
Natus homo eſt.

Adeo nefas exiſtimandum eſt, ea ſcrutari, quæ voluit Deus eſſe celata[a].

a *Adeo nefas exiſtimandum eſt, ea ſcrutari, quæ voluit Deus eſſe cælata.* Al. *quæ Deus voluit*; Id eſt *Adeo impoſſibile*, ut ſup. notavimus ex Cicero. ſeg. 29

65.

Verum ille non audiendi, aut diſcendi ſtudio requirebat, ſed refellendi: quia confidebat, neminem id poſſe dicere. Quaſi vero ex hoc putandum ſit, non eſſe hæc divinitus facta, quia quomodo facta ſunt, non poteſt perviderí.

66.

An tu, ſi educatus in domo fabricata[a], & ornata, nullam unquam fabricam vidiſſes: domum illam putaſſes non ab homine eſſe ædificatam[b], quia quomodo ædificetur, ignorares? idem profecto de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris: *quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta eſſet opera mo-*

a *In domo fabricata*. Bon: *fabrecata*. Al. *fabrefacta*, ex Librarii errore, quo *e* pro *i* ſæpe ſcribit hæc ſecunda minus propria lectio facta eſt.

b *Non ab homine eſſe ædificatam*. Al. *non eſſe ab homine &c.*

molitus [c], maxime ſi ſaxa ingentia [c] immenſa cæmenta, vaſtas columnas, opus totum ſublime, & excelſum videres: non ne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quam ratione, atque artificio facta eſſe neſcires?

---

c *Tanta eſſet opera molitus*. Al. *tanta opera eſſet*.

67.

Quod ſi homo, in quo nihil perfectum eſt [a], tamen plus efficit ratione, quam vires ejus exiguæ patiuntur [b]: quid eſt, cur incredibile tibi eſse videatur, quum mundus dicitur factus a Deo? in quo, quia perfectus eſt, nec ſapientia poteſt habere terminum, nec fortitudo menſuram.

---

a *Homo, in quo nihil perfectum eſt*. Quamvis omne Dei opus perfectum ita eſt, ut nihil illi deſit in genere ſuo, tamen bene dicitur, in homine dum mortalis vivit, nihil eſſe perfectum, quia ſingula in eo perficientur in patria beata, ad quam unice acquirendam vitæ hujus viam ingreſſus eſt.

b *Exiguæ patiuntur*. Al. *patiantur*.

68.

Opera ipſius videntur oculis: quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur: *quia* (ut Hermes ait) *mortale immortali, temporale perpetuo, & corruptibile incorrupto propinquare non poteſt*, id eſt, pro-

propius accedere, & intelligentia ſubſequi, & ideo terrenum adhuc animal rerum cæleſtium perfectionem non capit: quia corpore, quaſi cuſtodia ſeptum teneretur, quo minus ſoluto, ac libero ſenſu cernat omnia. Sciat igitur quam inepte faciat [a], qui res inenarrabiles quærit.

a *Sciat igitur quam inepte faciat*: Sic omnino legendum, ubi Al. *Quam inepte Hoc eſt faciat*: Tò *hoc eſt*: ex linea ſequenti iſtuc irrepſit.

69.

Hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi, nec intelligere, quouſque homini liceat accedere.

70.

Denique quum aperiret homini veritatem Deus, ea ſola ſcire nos voluit [a], quæ interfuit hominem ſcire ad vitam conſequendam: quæ vero ad curioſam, & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana eſſent.

a *Ea ſola ſcire nos voluit &c.* Valde notanda ſunt, quæ heic a Lactantio dicuntur, non ſolummodo ad explicandas nonnullas ſententias ejus, quas quidam reprobarunt, verum etiam ut humanæ curioſitati; ne dicam temeritati, modus imponatur. Vide propterea diſſ. xxv. cap. ix. §. vi.

71.

Quid ergo quæris, quæ nec potes

tes ſcire, nec, ſi ſcies, beatior fies [a]? Perfecta eſt in homine ſapientia, ſi & Deum eſſe unum, & ab ipſo eſse facta univerſa cognoſcat.

a *Nec ſi ſcies, beatior fies*. Al. *ſcias..fias*.

CAP. X. AL. IX.

1.

NUnc quoniam refutavimus eos, qui de mundo, & de factore ejus Deo aliter ſentiunt, quam veritas habet: ad divinam mundi fabricam revertamur: de qua in arcanis ſanctæ religionis literis [a] traditur.

a *In arcanis ſanctæ Religionis literis*. Al. *in arcanis Rel. ſanctæ litt.* Obſerva librum Geneſeos ſub diſciplina arcani ab antiquis fidelibus fuiſſe cuſtoditum.

2.

Fecit igitur Deus [a] primum omnium cælum,

a *Fecit igitur Deus*. Walchius heic recenſitis pluribus, qui de mundi creatione egerunt: Lactantius, inquit rem magis ingenioſe, & pie, quam vere explicat, in multis a via veritatis aberravit; licet alias appareat rerum naturalium non leviter peritum fuiſſe. Tene Lector, ut judicium feras, quum opus fuerit de Walchii authoritate loquendum; in diatriba enim ſuæ editioni præfixa Cap. VII. pag. 51. extr. *incultum literis his ingenium*, habuiſſe Lactantium aperte pro nunciavit.

lum, & in ſublime ſuſpendit: quod eſſet ſedes ipſius Dei conditoris. Deinde terram fundavit [b], ac cælo ſubdidit: quam homo cum cæteris animalium generibus incoleret. Eam voluit humore circunflui, & contineri.

b *Deinde terram fundavit ... quam homo &c.* Reſpicit ad illud Pſal. cxiii. v. 16. *Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

3.

Suum vero habitaculum, [a] diſtinxit claris luminibus, & implevit, Sole ſcilicet, Lunæque orbe fulgenti, & aſtrorum micantium ſplendentibus ſignis adornavit: tenebras autem, quod eſt his contrarium [b], conſtituit in

a *Suum vero habitaculum*. Id eſt Cælum Empyreum alios omnes ſuo continens ambitu; juxta illud Pſal. ii. v. 4. *Qui habitat in Cælis*. Et illud Act. vii. v. 49. *Cælum mihi ſedes eſt.* Lactantius enim Orbium ſupernorum diſtinctionẽ, aut numerum non recenſuit, ſicuti nec Moyſes in Geneſi de his mentionem fecit, quamvis Cap. i. a v. 14. agat de Sole, Luna, ac Stellis, quæ lucere in firmamento Cæli ab eo dicuntur; Ideoque non eſt heic audiendus Raudenſis, apud quem Dial. i. Candidus Decembrius inducitur, qui Lactantium reprehendit, quaſi Deum domicilio claudat, & in Cælo ſydereo collocet. An autem merito obſimilem loquendi modum ſit a Petavio Noſter reprehenſus, vide diſſ. xxix. cap. vi. §. iv.

b *Tenebras autem, quod eſt his contrarium*. Al. *quas*

in terra; nihil enim per ſe continet luminis, niſi accipiat è Cælo, in quo poſuit lucem perennem, & ſuperos & vitam perpetuam: & contra in terra tenebras, & inferos, & mortem *c*.

---

quas his contrarium. Al. *tenebras eſt his contrarium*. Al. *qua his contrarium*. Al. *quæ ſunt his contrariæ*. Noſtra lectio Elegantior, nam *quod* heic idem valet, ac *id eſt*, *hoc eſt*, *propterea quod*, ut ſæpe apud Noſtrum reperitur uſurpatum. Walchius autem nos heic monet, terram eſſe planetam, - *planetæ vero ſunt*, inquit, *corpora ſolida*; *aerea*; *non gaudent propria luce*; *ſed aliena*. Hoc eſt primum naturæ arcanum, quod, tamquam Lactantio ignotum, annotare in hocce capite voluit Walchius; ſed re tota eum errare noſcent omnes, qui legant L. III. cap. XXIII. seg. 13. hujus operis, & diſſ. noſtram XXIV. ubi de iis loculenter agimus.

c *Et contra in terra tenebras, & inferos, & mortem*. Al. primam copulam non habent. - Dicta hæc ſunt per antitheton ad ea, quæ immediate antea dixerat. Sicuti enim Deus poſuit in Cælis lucem perennem, ſic iu terra tenebras ſparſit, quæ nihil aliud ſunt quam ejuſdem lucis privatio. In Cælo ſuperos, ſedes nimirum eorum, qui cum eo erant æternum regnaturi, in terra inferos, videlicet loca, in quibus degerent, qui ab eo regno erant aliquando excludendi. In Cælis vitam perpetuam, nempe viſionem beatam, in Terræ centro mortem, id eſt damnatorum pænas, & cruciamenta. Walchio tamen hæc dure de Deo dicta videntur, quum non animadverterit de Deo hæc dicta eſſe *futurorum præſcio*, ut infra ſeg. 11. ſeſe explicat Lactautius; nec meminit ſcri-

ſcriptum eſſe Matth. xxv. v. 34. Chriſtum Dominum in extremo Judicio dicturum Electis: *Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi* -, ac deinde reprobis: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabulo, & Angelis ejus.*

4.

Tanto enim hæc ab illis ſuperioribus diſtant, quantum mala bonis, & vitia virtutibus[a].

a *Quantum mala bonis, & vitia virtutibus*: Al. *a bonis . . . a malis*: Bene utroque modo dici poteſt, & utroque modo uſus eſt heic Lactantius: *ab hæc illis . . . mala bonis . . . . vitia virtutibus diſtant.* Sic meliores habent.

5.

Ipſius quoque terræ binas partes contrarias inter ſe, diverſaſque conſtituit, ſcilicet orientem, occidentemque, ex quibus oriens Deo[a] accenſetur, quia ipſe luminis fons, & illuſtrator eſt rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam ſempirernam. Occidens

a *Oriens, Deo accenſetur.* Sic etiam Aldus Al. *cenſetur.* Iſæus ab hoc, ſimilibuſque Lactantii locis nos cavere opus eſſe admonet, quia in his nonnihil faviſſe author videtur damnatis illorum temporum Cerdonis, & Marcionis de duobus principiis erroribus; Langletius Lactantium reprehendit, quia heic alle-

dens autem conturbatæ illi, pravæque menti [b] adſcribitur, quod lumen abſcondat, quod tenebras ſemper inducat, & quod homines faciat occidere, atque interire peccatis.

allegoriis nimis indulſiſſe putavit. Bunemam: etſi incomode, & dure dicta hæc a Lactantio eſſe aſſeruit, molliri tamen addidit ex ritu, quo ſacri Lavacri candidatus primum ad occidentem verſus diabolo renunciabat, deinde ad orientem, ut Chriſto ſe conſecravit. Vide diſſ. XXXIV. & infra ad cap. XIII. ſeg.9.

b *Conturbatæ illi pravæque menti.* Scilicet Diobolo, qui ſuopte arbitrio, ut ſuperiori Capite Lactantius dixit, ex bono malus effectus eſt. Vide Cap. ſup. ſeg. 6. Quæ ſtatim vero ſequuntur oſtendunt, quantum exceſſerit heic Langletius, accuſando Lactantium, quaſi per hæc Diabolo tribuiſſet occidentis imperium.

6.

Nam ſicut lux orientis eſt, in luce autem vitæ ratio verſatur: ſic occidentis tenebræ ſunt: in tenebris autem mors, & interitus continetur [b].

a *In Luce autem vitæ ratio verſatur.* Quantum Lux ad vitam conferat humanam vide in diſſ. XXIV.

b *In tenebris autem mors, & interitus continetur.* Al. *& mors, &c.* Tenebræ, ut ſupra diximus, lucis privatio eſt, ſic mors, & interitus vitæ expoliatio.

7.

Deinde alteras partes eadem ratione dimen-

menſus eſt, meridiem, ac ſeptentrionem, quæ partes illis duabus ſocietate junguntur [a].

a *Societate junguntur*. Bon. *Societatæ* Aldus *Sociatæ*.

8.

Ea enim, quæ Solis calore flagrantior, proxima eſt, & cohæret orienti. At illa, quæ frigidior [a], & perpetuo gelu torpet, ejuſdem eſt, cujus extremum occaſus. Nam ſicut contrariæ ſunt lumini tenebræ [b], ita frigus calori.

a *At illa, quæ frigidor*. Al. *Quæ frigoribus*.
b *Contrariæ ſunt lumini tenebræ*. Iſæus *homini tenebræ*: omnino male.

9.

Ut igitur calor lumini eſt proximus, ſic meridies orienti: ut frigus tenebris, ita plaga eſt ſeptentrionis occaſui [a]. Quibus ſingulis partibus ſuum tempus attribuit. Ver ſcilicet orienti, æſtatem meridianæ plagæ [b]; occidenti autumnus eſt, ſeptentrioni hyems [c].

a *Septentrionis occaſui*. Aldus *ſeptentrionalis*.
a *Æſtatem meridianæ plagæ*. Al. *Æſtas meridionali*: Prave; ſubauditur enim, *attribuit*.
c *Septentrioni hyems*. Bon: *hybernus*.

10.

In is quoque duabus partibus, meridiana, et

& ſeptentrionali [a], figura vitæ, ac mortis continetur: quia vita in calore eſt [b], mors in frigore: ſicut autem calor ex igne eſt, ita frigus ex aqua.

a *Meridiana, & ſeptentrionali*. Sic etiam Aldus. Al. *meridionali*, quod eſt barbarum.

b *Vita in calore eſt*. Quia ex motu ſanguinis calor in corpore producitur dum animal vivit, quo per animæ ſeparationem ceſſante, frigus, & torpor inducitur.

11.

Secundum harum partium dimenſionem, diem quoque fecit, ac noctem, qui ſpatia, & orbes temporum perpetuos, ac volubiles, quos vocamus annos, alterna per vices ſucceſſione conficiant. Dies, quem primus oriens ſubminiſtrat, Dei ſit, neceſſe eſt [a] ut omnia, quæcunque meliora ſunt. Nox autem, quam occidens extremus inducit, ejus ſcilicet quem Dei eſſe æmulum diximus [b]; quæ duo etiam [c], in hoc præſcius futurorum Deus fecit, ut ex iis & veræ religionis, & fal-

a *Dei ſit neceſſe eſt .... ejus ſcilicet* &c. ſubaudi ex ſequentibus mox *imago*.

b *Dei æmulum diximus*. Capitulo nimirum ſuperiori Seg. 4.

c *Quæ duo etiam*. Sic omnino legi ſenſus verborum exigit, ubi Bon. *quando etiam*. Aldus *quod hoc præſcius*.

falſarum ſuperſtitionum imago quædam oſtenderetur d.

d *Deus fecit, ut ex iis, & veræ religionis, & falſarum ſuperſtitionum imago quædam oſtenderetur*. Inter ſigna, ſeu notas Eccleſiæ Chriſti ſponſæ, ac veræ religionis, illud præcipuum eſt, ut ſit *una*, ut heic ſtatim explicat Lactantius. Vide Diſſ. xxx.

12.

Nam ſicut Sol, qui oritur in diem a, licet ſit unus (unde ſolem eſſe appellatum Cicero vult videri, quod *obſcuratis ſideribus, ſolus appareat* b) tamen, quia verum, ac perfectæ plenitudinis lumen eſt, & calore potentiſſimo c, & fulgore clariſſimo, illuſtrat omnia: Ita in Deo, licet ſit unus, & majeſtas, & virtus, & claritudo perfecta eſt.

a *Oritur in diem*. Al. *in die*.

b *Quod obſcuratis ſideribus ſolus appareat*. Cicer. l. II. de Nat. Deor. cap. XXVII. *Sol dictus eſt, vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia, quum eſt exortus obſcuratis omnibus apparet*: Adde Munker. ad Fulgent Aſtronom., & Macrob. l. I. *Somn. Scip.* cap. XX.

c *Et calore potentiſſimo*. Al. *puriſſimo*.

13.

Nox autem, quam pravo illi antitheo a dicimus attributam, ejus ipſius multas, & va-

a *Pravo illi Antitheo*. Scilicet. *Diabolo*, quem ſeg. 11. vocavit *Dei æmulum*. Vide cap. præcedenti ſeg. 4. & 6.

varias religiones per ſimilitudinem monſtrat [b].

b *Per ſimilitudinem monſtrat*. Al. *demonſtrat*. Nobiſcum etiam Aldus legit.

14.

Quamvis enim ſtellæ innumerabiles micare, ac radiare videantur: tamen quia non ſunt plena, ac ſolida lumina [a], ne caloris præferunt quicquam [b], nec tenebras multitudine ſua vincunt.

a *Quia non ſunt plena, & ſolida lumina*. Quam varia fuerint de his Philoſophorum, Aſtronomorumque placita Vide in Diſſ. XXIV.

b *Nec caloris præferunt quicquam*. Al. *ne caloris*. Al. *perferunt*. Aldus legit nobiſcum. Vide Diſſ. eandē.

15.

Duo igitur illa principalia inveniuntur, quæ diverſam, & contrariam ſibi habent poteſtatem, calor, & humor [a], quæ mirabiliter Deus ad ſuſtentanda, & gignenda omnia excogitavit.

a *Calor, & humor* Walchius ſic locum hunc explicat. *En Lactantius noſter veritatem elementorum attingit: duo ſunt elementa, Aer, & Aether; Aer eſt naturæ humidæ, Aether vero igneæ*. Peripatetici dicunt haſce potius eſſe duorum elementorum qualitates, calor nimirum ignis, humor aquæ, & quidem congruentius cum iis, quæ ſequuntur. Vide Diſſ. XXIV. & infra c. XIII. Seg. 6.

16.

Nam quum virtus Dei ſit in calore,[a] & igni: niſi ardorem, vimque ejus admiſta humoris, ac frigoris materia temperaſſet[b], nec naſci quicquam, nec cohærere potuiſſet: quin ſtatim conflagratione interiret, quicquid eſſe cœpiſſet.

a *Nam quum virtus Dei ſit in calore, & igni.* Al. *virtus diei.* Ignis elementorum princeps apud peripateticos virtus Dei elegantiſſime dicitur, quia ſæpe ſæpius per ignem virtutem ſuam, & potentiam hominibus oſtendit.

b *Niſi ardorem, vimque ejus admiſta humoris, ac frigoris materia temperaſſet.* Al. *ardorem, cumque ejus.* Bon. *admiſſam* prave; nam Lactantius heic de elementorum miſtione loquitur, qua invicem temperantur, non ſolum quantum ad qualitates attinet, ſed etiam quantum ad ſubſtantias. Vide infra Seg. 19. & Diſſ. XXIV. ubi de elementis, rerumque productionibus luculenter agimus.

17.

Unde & philoſophi quidam, & poetæ diſcordi concordia mundum conſtare dixerunt[a]: ſed rationem penitus non videbant[b]. He-

a *Diſcordi concordia mundum conſtare dixerunt:* Paullo infra recitat verſus Ovidii, quibus adde Horatium L. I. Ep. XII. v. 19.

Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors.

Quo effato nullum in phyſica demonſtrabilius: Vide diſſ. XXIV.

b *Penitus non videbant:* Al. *non viderunt.*

18.

Heraclitus ex igne [a] nata eſſe omnia dixit: Thales ex aqua [b]. Uterque vidit aliquid: N 3 ſed

a *Heraclitus ex igne*: Heracliti Elogium vide diſſert. XL. De ejus rerum principio, quod ignem appellavit, teſtantur Plutarch., Ariſtotel., Laertius, Sex. Empir., aliique plures; quamvis idem Empiricus, & Ariſtoteles etiam aſſerant, unicum Heracliti principium eſſe Aerem; adeo quippe obſcure locutus eſt, ut *obſcuriſſimus*, & cognomento σκοτινὸς appellaretur, teſte Ciceron. L. II. de finib. c. V. Fortaſſe tamen ex vocabulo, quo ad id ſignificandum eſt uſus, iſta hæc controverſia orta eſt; ætherem enim, quamvis omnes fateantur, aerem puriſſimum eſſe, tamen Græci *propter conſuetudinem*, ut ait Ariſtoteles I. Meteor. cap. IV., ignem vocabant, etſi ignem non eſſe optime noſſent.

b *Thales ex aqua*. De Thalete locuti ſumus in Diſſ. XL. quam conſule ſi lubet. De ſuo rerum principio, quod aquam eſſe aſſeruit, teſtatur Plutarch. *de Plac. Phil.* L. I. c. 3. & Stobæus in Ecl. Phyſ. Ante Thaletem hanc opinionem ſecuti ſunt Homerus Iliad. XIIII. v. 245.

. . . . . . Etſi fluvii fluenta

Oceani, qui generatio omnibus factus eſt.

Et Heſiodus, quum in ſua Theogonia chaos dixit eſſe rerum omnium principium, nihil aliud intellexiſſe viſus eſt ſcholiaſti ſuo, quam aquam, ideoque ait: *Olymp. Od.* I. *quam opinionem Thales Mileſius poſtea uſurpavit, ac Pindarus etiam quum ait: præſtantiſſimam rerum eſſe aquam*. Additque Plutarchus l. I. Pleroſque Phyſicorum antiquiſſimorum, aquam Chaos appellaſſe.

ſed erravit tamen uterque: *c* quod alterutrum ſi ſolum fuiſſet, neque aqua naſci poſſet ex igne *d*, neque rurſus ignis ex aqua. Sed eſt verius, ſimul ex utroque permiſto cuncta generari *e*.

ſe. Nec aliter ſenſere Indi apud Strabonem L. XV. Phænices apud Euſeb. Præp. Evang. l. x. Ægyptii ex Herodoto in Euterpe. Modum autem, quo hæc facta eſſe ex aqua dicebant, Orpheus apud Athenagoram *Legat. pro Chr.* explicat cap. XVIII. *Ex aqua enim, ait, lutum conſtitit, & ex utroque genitum animal Draco, adjunctum habens caput Leonis. Horum in medio facies Dei, cui nomen Hercules, & Chronus. &c.* Quæ lege ſi in ſtomacho ridere cupis, & Adde S. Juſtin. *in Cohort. ad Græcos* cap. III. Quidam nuper, quum ſyſtemata antiquorum extumularentur, hocce etiam propugnare ſunt auſi, ut in Iſagoge noſtra innuimus §. XVII., & Diſſ. XXIV. cap. I. §. III. fuſius diſputavimus.

c *Sed erravit tamen uterque*. Bon. *tamen ut ea*. prave.

d *Neque aqua naſci poſſet, ex igne*. Al. *naſci ex igne potuiſſet*. Contrarium dicere videtur *de Ira Dei* cap. x. ſeg. 19. ſed per hoc explicandum ejus effatum.

e *Ex utroque permiſto cuncta generari*. Al. *Tò* cuncta non habent.

19.

Ignis quidem permiſceri cum aqua non poteſt: quia ſunt utraque inimica: & ſi cominus venerint, alterutrum, quod ſuperaverit, conficiat alterum, neceſſe eſt: ſed eorum ſubſtan-

ſtantiæ permiſceri poſſunt [a]. Subſtantia ignis calor eſt: aquæ, humor [b].

a *Sed eorum ſubſtantiæ permiſceri poſſunt*. Supra ſeg. 16. monuimus ſubſtantiam heic uſurpari pro eo, quod eſt quodlibet elementum.

b *Subſtantia ignis calor eſt, aquæ humor*. Calor ſcilicet ſummus, quem philoſophi dicunt *ut octo*, ignis eſt, & ſubſtantia illius, quamvis in gradu remiſſo calor ſit ignis proprietas, & facultas, qua operatur: dixerat quippe ſupra ſeg. 10. *calor ex igne eſt*. Vide Diſſ. XXIV. cap. II. §. I., & VII.

20.

Recte igitur Ovidius:

> *Quippe, ubi temperiem* [a] *ſumpſere humorque calorque,*
> *Concipiunt:* [b] *& ab his oriuntur cuncta duobus* [c].

 Cum-

a Tempiriem. Scilicet medium quoddam ſiccitatem inter & humiditatem.

b Concipiunt. Ex humido, & calido invicem temperatis generationem fieri vix quiſquam auſus eſt denegare; iis quippe ageutibus, ac invicem reagentibus, corruptio inducitur, quæ generationem antecedit.

c Ab his oriuntur cuncta duobus. Parmenidi hanc ſententiam, tamquam primo authori tribuit Laertius l. IX. ſeg. 22. *Primus hic cerram*, de eo loquens ait: *globoſam dixit, & in medio ſitam: duoque eſſe elementa ignem, & terram; illum opificis, hanc muteriæ tenere ordinem*. Vide infra cap. XIII. ſeg. 6. & in Diſſ. *L. S. C.*

Quumque ſit ignis aquæ pugnax[d]: vapor humidus omneis
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt[e].

d Aquæ pugnax. Al. *pagnans*. Pugnare tertio caſu junctum, conſtructio Græca eſt. Virgil. æn. IV. v. 38. . . . . *placito-ne etiam pugnabis amori?*
e *Fœtibus apta res*. Bon. *rebus apta res*. Prave.

21.

Alterum enim quaſi maſculinum eſt [a], alterum quaſi fœmininum: alterum activum, alterum patibile, ideoque a veteribus inſtitutum eſt, ut ſacramento ignis, & aquæ nuptiarum fœdera ſanciantur [b], quod fœtus ani-

a *Quaſi maſculinum eſt*. Al. addunt *elementum*.
b *Ut Sacramento ignis, & aquæ nuptiarum fœdera ſanciantur*. Sic omnes præter Bon. antiquiorem Ms. codicem, in quo habetur: *ut Sacramentum ignis, & aquæ nuptiarum fœdere ſanciatur*. Utraque lectio mihi ſuſpecta eſt. Aldus annotat: *Diony. L. II.* 74. innuens Dionynifium Halicar. ubi agit *de Conjugum confarreatione*. Betulejus morem antiquorum memorat, ſecundum quem Sponſus, & Sponſa ignem, & aquam tangere conſueverant, ex Scevola in *L. Seja 66. ſ.* 1. *ff. de Don. inter Vir. & Uxor.* Legerem: *ut Sacramentum nuptiarum ignis, & aquæ fœdere ſanciatur*: ob ea, quæ dixi de Opif. Dei cap. XX. *ſ.* 9. & Diſſert. XXXV. cap. II. *ſ.* VIII.

animamtium calore, & humore corporentur, atque animentur [c] ad vitam.

c *Fœtus animantium calore, & humore corporentur, atque animentur*. Iterum Walchius hanc locutionem infrequentem appellat; At nos capite ſuperiori ſeg. 62. eam vindicavimus, & bene heic obſervat Bunem: eodem modo hæc verba juncta a Plinio fuiſſe l. VII. cap. XIII. de generat. hominis loquendo; ait enim cap. XV. *Semine è maribus coaguli modo hoc glomerante, quod deinde tempore ipſo animatur, corporaturque*. Adde Barthium Adverſar. l. VII. cap. II.

22.

Quum enim conſtet omne animal ex anima, et corpore [a]: materia corporis in humore eſt, animæ in calore [b], quod ex avium fœtibus

a *Quum enim conſtet omne animal ex anima, & corpore*. Hæc verba notanda ſunt, ut appareat, quanta injuria Lactantio, ſolam animam eſſe totum hominem, affictum fuerit.

b *Animæ in calore*. Walchius heic Animam pro vita uſurpari ſcite obſervat; nam materia vitæ eſt id, quod vitam ſuſtentat animantium. Iſæus autem miratur, Lactantium Democriti opinionem ſequi, nec ſe intelligere poſſe, inquit, quomodo is aſſerat, materiam animæ eſſe ignem, vel calorem, quum non ignoraverit animam rationalem eſſe immortalem, ut paſſim docuit. At ceſſat ſtatim omnis contradictio, ſi obſervetur aliud eſſe id, quod dicitur materia ex qua aliquod fit, aliud id, quod eſt materia, in qua, & per quam forma recipitur. In hac

tibus datur ſcire: quos craſſi humoris plenos, niſi opifex calor foverit, nec humor poteſt corporari [c], nec corpus animari.

---

hac ſecunda acceptione loquitur Lactantius, ut demonſtravimus Diſſ. xxv. cap. vii. §. xi. Vide infra cap. xvii. ſeg. 3. &c.

c *Nec humor poteſt corporari, nec corpus animari*. Aldus hanc lectionem præfert. Al. *corporare*, *animare*. Omnino male, ut patet ex iis, quæ paullo ſupra diximus. Hinc liquido conſtat quam germana ſit tradita explicatio. Docet enim Lactantius, quod niſi opifex, id eſt, activus calor, ovum, ſeu meteriam prolificam foverit, nec ſemen in corpus, id eſt, Embryon poterit animari.

23.

Exulibus quoque igni [a], et aqua ſolebat in-

---

a *Exulibus quoque igni, & aqua ſolebat interdici*. De hac pæna, qua apud Græcos, & Romanos cautum erat, ne quis aquam, aut ignem communem haberet cum reis Parricidii, ac peculatus, Vide *l.* iii. *ff. ad leg. Juliam pecul. & ff. de* pænis l. II. ubi Franc. Accol. notat. *Loco pæne, aquæ, & ignis, ſucceſſit pæna deportationis*. Quicumque autem eum recepiſſet, cui aqua, & igni interdictum erat, de vi privata ex L. Julia tenebatur. De Liciniano hac pæna multato a Domitiano ob inceſtum cum Virgine Veſtali, loquitur Plin. Sec. l. iv. Ep. xi., ubi obſervandum eſt, non ſolum caruiſſe togæ jure eos, quibus aqua, & igni interdictum erat, ut ipſe ait, ſed nec teſtamentum facere, nec aliquo jure uti potuiſſe, ut pote qui bonis omnibus, honoribuſque eo ipſo expoliabantur.

interdici: adhuc enim videbatur nefas [b], quamvis malos, tamen homines ſupplicio capitis afficere.

b *Adhuc enim videbatur nefas &c.* Sero capitis ſupplicio affici ſontes cæptum eſt, nec de capite Romani Civis licitum erat judicare niſi comitiis centuriatis ex lege XII. Tabularum. *De capite Civis Romani, niſi per Maximum Comitiatum, ne ferunto.* Quamquam apud Judæos morte punirentur ex Dei præcepto criminum quorundam maximorum rei, ut patet Exod. XXI. a v. 14. & alibi.

24.

Interdicto igitur uſu earum rerum, quibus vita conſtat hominum, perinde habebatur, acſi eſſet, qui eam ſententiam exceperat, morte multatus; adeo iſta duo elementa prima ſunt habita, ut nec ortum hominis, nec ſine his vitam crediderint poſſe conſtare [a].

a *Nec ſine his vitam crediderint poſſe conſtare.* Sine uſu aquæ, & ignis, hominem diu vivere poſſe, nemo dicet, multoque minus eum naſci ſine calore, & humore exiſtimabit aliquis, qui humani corporis ſtructuram noverit. Nec video quare heic monendi ſint Lectores, ne de Lactantio credant, eum negare corpora noſtra è communi elementorum craſi conſtare, ut facit Sparkius, quum pateat ex hactenus dictis, ac ex infra dicendis nihil tale de eo ſuſpicari poſſe.

25.

Horum alterum nobis commune eſt cum

cæ-

cæteris animalibus, alterum ſoli homini datum[a]. Nos enim quoniam cæleſte, atque immortale animal ſumus, igne utitur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus eſt[b]: quoniam ignis è cælo eſt, cujus natura, quia mobilis eſt, et ſurſum nititur, vitæ continet rationem.

Cæ-

---

a *Alterum ſoli homini datum*. Ignem ad uſum ſoli homini datum eſſe, ſcite dixit Firmianus; homines quippe ſolummodo ad victum, ac ad cibos præparandos, eo utuntur, quum cætera animalia illos crudos comedant. Vide l. VII. IX. 13., & Epitom. cap. LXX. ſeg. 12.

b *Qui nobis in argumentum immortalitatis datus eſt*. Nihil omittit Lactantius eorum, quæ poterant aliquo modo Ethnicos inducere ad animæ immortalitatem adverſus Epicureos ſtatnendam, iccirco, quum inter eos opinio illa invaluerit, animam noſtram vel ætherem puriſſimum, vel ignem eſſe, hinc, ex utriuſque natura, quæ ad ſublime tendit, immortalitatis argumentum deſumebat. Plutarcho enim teſte de Plac. Philoſoph. l. II. cap. VII. Plato ignem primo loco ſtatuit, proximo ætherem, deinde aerem, poſt hunc aquam, poſtremo terram: Ariſtoteles autem primo ætherem, deinde ignem &c. Sic concludit Lactantius: Eo res redire debenr, unde ortæ ſunt, itaque ad ſublime animam noſtram reverti poſt mortem neceſſe erit, nec in terra una cum corpore corrumpti, aut evaneſcere, *quoniam ignis de Cælo eſt*. An autem vere ipſe putaverit, Animam noſtram ignem, aut ætherem eſſe, Diſſ. XXV. a nobis diſputatur.

26.

Cætera vero animalia ; quoniam tota ſunt mortalia [a], tantummodo aqua utuntur, quod eſt elementum corporale, atque terrenum. Cujus natura, quia immobilis eſt, ac deorſum vergens [b] figuram mortis oſtendit. Ideo pecudes nequæ in cælum ſuſpiciunt, neque religionem ſentiunt [c], quoniam ab his uſus ignis alienus eſt.

---

a *Sunt tota mortalia*. Al. *tota ſunt &c.* Scilicet tam quo ad animam, quam quo ad Corpus.

b *Quia immobilis eſt, ac deorſum vergens*. Sic etiam Aldus. Al. *quia mobilis eſt*. Sed male; nam aqua ex vi, & natura ſua immobilis eſt, neque moveri poteſt niſi extrinſecus impellatur, aut per clivum, in quo conſiſtere nequit, delabi ſuopte pondere, atque aeris compreſſione cogatur. Unde Ovidius Epiſt. XVIII. Heroid. v. 121.

Hoc quoque ſi credas ad te via prona videtur.
A te quum redeo clivus inertis aquæ.

Hinc illud II. Reg. XIV. v. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*, quum propria careant virtute ad ſe movendum; quia tamen tenuiſſimis, ac teretibus particulis conſtat, hinc fluidum elementum eſt, & facile ab extrinſeca cauſſa movetur.

c *Ideo pecudes neque in cælum ſuſpiciunt, neque religionem ſentiunt*. Al. *religiones* Heum. cap. I. hujus libri ſeg. 17. expungenda ea verba putavit *aves, & ex mutis pene omnia, Cælum vident*. Illa enim iis, quæ heic recitantur contraria ſunt; ſed fallitur, nam per ea, quæ ibidem ſequuntur, iſta ſunt explicanda

Quam-

Quamvis fere omnia animalia cælum videant *nobis tamen datum eſt Cælum rigidis, ac ſtantibus intueri*, quod illis eſt denegatum. Per quod etiam ſoluta manet difficultas ex Galeno ab Iſæo propoſita *de uſu partium* cap. 3. ubi ait: *Piſces Cæli ſpeculatores dictos eſſe, quia vel inviti Cælum aſpiciunt*. Quia ſcilicet in aquis imago illius repreſentatur; vel quando caput ex eis attollunt, quod etiam boves faciunt interdum, ut Varro Cecinit.

Et bos ſuſpiciens Cælum, mirabile viſu,
Naribus aereum patulis decerpit odorem.

Et Virgilius l. 1. Georg. v. 375.

.... *aut Bucula Cælum*
Suſpiciens patulis captavit naribus auras.

Uterque ex Arato, ut ibidem teſtatur Servius: recte ergo Salluſt. in Catili. 1. *Pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.*

27.

Unde autem, vel quomodo Deus hæc duo principalia, ignem, et aquam[a] vel accenderit, vel eliquaverit, ſolus ſcire poteſt, qui fecit.

a *Hæc duo principalia ignem, & aquam.* Obſerva Lactantium inter elementa, *principalia* quidem aquam, & ignem appellare; terram, autem, & aerem ex eorum numero non eſcludere.

CAP.

CAP. XI. AL. X.

I.

COnſummato igitur mundo, animalia varii generis, diſſimilibus formis, et magna, & minora uti fierent, imperavit[a]. Ea facta ſunt bina, id eſt diverſi ſexus ſingula: ex quorum fœtibus[b] et aer, et terra, et maria completa ſunt. Deditque his omnibus generatim Deus alimenta de terra, ut uſui eſſe homini poſſent[c]: alia nimirum ad cibos, alia vero ad veſtitum[d]: quæ autem magnarum ſunt virium, ut in excolenda terra juvarent, unde dicta ſunt jumenta[e].

---

a *Conſummato igitur mundo, animalia varii generis &c.... uti fierent imperavit*: Geneſ. I. v. 23. *Et factum eſt veſpere, & mane dies quintus. Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ.*

b *Ex quorum fœtibus*. Al. *& quorum &c.*

c *Ut uſui eſſe homini poſſent*. Al. *viſui hominibus eſſe poſſent.*

d *Alia ad veſtitum*. Al. *ad veſtimentum*. Nobiſcum Aldus legit.

e *Unde dicta ſunt jumenta*. Ideo l. I. cap. XI. ſeg. 40. Noſter dixit: *Juppiter quaſi juvans pater dicitur, quod nomen in Deum minime congruit: quia juvare hominis eſt, opis aliquid conferentis in eum, qui ſit alienus, & exigui beneficii*. Adde Columell. lib. VI. Præf. Iſid. L. XII. Orig. cap. I., & lib. XV. cap. 17. Quamvis

vis Nonius cap. I. & Pomponius in leg. *Boves de verbo ſignif.*, aliique apud Gellium l. XX. cap. I. non a *juvando*, ſed a *jungendo* dicta eſſe *jumenta* contendant.

2.

Ita rebus omnibus mirabili deſcriptione compoſitis regnum ſibi æternum patrare [a] conſtituit, et innumerabiles animas procreare [b], quibus immortalitatem daret.

---

a *Regnum ſibi æternum patrare*. Al. *parare*. Retineo lectionem noſtri codicis; nam *patrare* eſt proprie *liberis operam dare*, & interdum *perficere incæpta*, ut apud Salluſt. in Catil. cap. LVI. *Si Romæ Socii incæpta patraviſſent*. Reſpicit ad illud Exodi XIX. v. 6. *Et vos eritis mihi in regnum*. Adde Apocal. cap. I. v. 6. & cap. V. v. 10.

b *Et innumerabiles animas procreare*. Raudenſis Lactantium arguit erroris illorum, adverſus quos agit S. Auguſtinus l. XII. de C. D. cap. XVIII., *qui aſſerebant ea, quæ infinita ſunt nec divina poſſe comprehendi ſcientia*, quaſi idem eſſet ex una parte infinitum, ac innumerabile; & ex alia etiam reſpectu divinæ ſcientiæ heic noſter loqueretur, & non potius, ut idem habet Auguſtinus de Trinitate. *Innumerabilia dicimus non ſolum quæ infinita ſunt, ſed quæ numerantis facultates excedunt*. In quo ſenſu Lactantium heic, & l. VII. c. V. ſeg. 9. & 15. anguſta humanæ mentis conditione propoſita, locutum fuiſſe, nemo non videt. Alii vero, quos Iſæus, Bunem, Langleſius merito impugnant, cum Gallæo, & Walchio putant, Lactantinm heic ſtatuere, hominum animas ab initio creationis fuiſſe omnes a Deo ſimul productas, juxta Platonis ſententiam,

tiam, quamvis eam Lactantius manifeſte derideat *de Opif. Dei* XIX. a Seg. I. L. III. cap. XVIII. 3. l. VII. cap. V. ſeg. 9. & 15. Vide Diſſ. XXV. cap. VII. §. II.

3.

Tum fecit ſibi ipſe ſimulachrum ſenſibile[a], atque intelligens[b], id eſt ad imaginis ſuæ formam, qua nihil poteſt eſſe perfectius; hominem figuravit ex limo terræ, unde homo nuncupatus eſt, quod ſit factus ex humo[c].

L.II. O De-

a *Tum fecit ſibi ipſe ſimulachrum ſenſibile.* Al. *ipſe ſibi*.

b *Et intelligens, id eſt: ad imaginis ſuæ formam:* Nota hanc explanationem, quæ infra neceſſaria erit ad intelligendam Lactantii mentem; Itemque confer II. ad Corinth. III. Ad Coloſſ. III., Ad Eph. IV., in quibus Apoſtolus Paulus ſimiles habet expreſſiones.

c *Quod ſit factus ex humo:* Walchius notat: *materiam primam alii ex veteribus dixerunt Chaos, alii limum, qui limus deinde diſceſſit in tellurem, & mare: Apolonius Argon.* IV. . . . . *edita limo Terra fuit &c.*
Errat tamen, ut ſupra vidimus, & ſcriptum Gen. I. nos docet, non ex materia prima Deum produxiſſe terram, ſed ex nihilo eam creaſſe. Deinde hominis primi corpus ex limo ipſius terræ figuraſſe: Gen. II. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*. Hominem autem ab humo dictum fuiſſe, etſi Quintilianus impugnare videtur L. I. cap. VI. Inſtit. Voſſius tamen in Etymolog. eum rite redarguit. Vide Iſid. L. XI. cap. I. Origin. Rodigin. L. II. cap. XX.

Hinc

Hinc etiam nota, erraſſe Quintilianum L. I. Inſt. Orat. cap. x. quum hanc Etymologiam deriſit, quod ex ignorantia accidit humanæ originis. Vide *de Opif. Dei* cap. XIV. I.

4.

Denique Plato humanam formam θεοειδῆ [a] eſſe ait, et Sibylla: quæ dicit

Ε'ικὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ [b] λόγον ὀρθὸν [c] ἔχουσα

---

a Θεοειδῆ : *eſſe ait* - Bon: Τεοιδεν - Al. θεονδῦ *adſerit*: Vocem Græcam, quam retinuimus, Homero familiarem, ad ſignificandos homines, Deo ſimiles eſſe, non ſemel reperies. Adde Cæl. Rodign. L. IV. cap. xxv., & ex Bunem: Pfanner Theolog. Gent. pag. 194.

b Ε'μὴ λόγον : Bon : ἔλλε, λογυυ

c Ο'ρθόν ἔχουσα. Al. ὀρεθὸν ἔχοισα : quidam Mss. cod. dant hanc totius carminis expoſitionem latinam. *Imago eſt homo mea, rationem rectam habens*; unde Ovidius illud ſumpſiſſe videtur Metam. I. ℣. 73.

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

5.

De hac hominis fictione poetæ quoque, quamvis corrupte, tamen non aliter tradiderunt, namque hominem de luto a Prometheo factum [a] eſſe, dixerunt. Res eos non fefellit, ſed nomen artificis.

---

a *Prometheo factum*: De hac fabula dixim. ad lib. *de Opif. Dei* cap. I. ſeg. II. Adde Horat. ode XVI., Proper. III. eleg. III. Heſiod. Opera, & Dies à ℣. 61., & ex Bunem. Jacob. Thomas præfat. LXXXI. pag. 533., & *Wiſt.* Sacr. Ægyp. l. III. c. 3.

6.

Nullas enim literas veritatis attigerant [a]: ſed quæ prophetarum vaticinio tradita, in ſacrario Dei continebantur, eadem fabulis [b], et obſcura opinione collecta, et depravata, ut veritas a vulgo ſolet variis ſermonibus diſſipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant [c], carminibus ſuis comprehenderunt, et hoc quidem inepte, quod tam mirabili, tamque divinum opificium homini dederunt.

---

a *Nullas enim literas veritatis attigerant*. Diſputant de hoc ſcriptores, quorum plerique non intelligere videntur, quomodo ab Ethnicis quædam, quæ ex divina revelatione pendent, reſciri potuiſſent ſine divinarum Scripturarum lectione; ſed facilis eſt explicatio, quam tradimus Diſſ. xxvii. cap. II. §. II. Al. *attigerunt*. Al. *attingerunt*.

b *Eadem fabulis*. Al. *ea de fabulis*. Male, ut ea demonſtrant, quæ habentur l. vii. cap. xxii. a ſ. 4. Adde ex Bunem. Korth. *Pag. obtrect.* l. 1. c. 2.

c *Nullo non addente aliquid ad id, quod audierat*. Al. *ad quod audierat*. Quam lectionem propugnat Bunem: ex Gronovio obſ. in Scrip. Eccl. pag. 185. putans eſſe ſcitum Lactantii Helleniſmum, afferens Terentii, & Livii, exempla. Nobiſcum autem legunt alii omnes, quos præoculis habemus; & bene Heuman. *Critici eſt Librariorum errores manifeſtos corrigere, non defendere*.

7.

Quid enim opus fuit hominem de luto fingi,

gi, quum poſſet eadem ratione generari, qua ipſe Prometheus ex Japeto natus eſt? qui ſi fuit homo: generare hominem potuit, facere non potuit. De diis autem illum non fuiſſe, pœna ejus in Caucaſo monte [a] declarat.

a *Pœna ejus in Caucaſo monte*. Prometheum a Diis ope Mercurii Caucaſi montis prærupto cuidam ſaxo alligatum, addita Aquila, quæ cor ejus, perpetuo renaſcens, inſatiabiliter exederet, Ethnici crediderunt. Vide Heſiod. Theog. à v. 521. Propert. l. II. Eleg. I. v. 71. Martial. *ſpect. v.* 7. Lucian. *Prometh.*

8.

Sed neque patrem ipſius Japetum, patruumque Titana [a] quiſquam deos nuncupavit: quia regni ſublimitas penes Saturnum ſolum fuit [b]: per quam divinos honores cum omnibus ſuis poſteris conſecutus eſt. Multis argumentis hoc figmentum poetarum coargui poteſt.

Fa-

a *Japetum, patruumque Titana*. Hygin. in fabular. præfatione. Ex Æthere, ait, & terra nati ſunt Titanes, & Tartarus, ex Tartaro, & terra Japetus, ex Japeto, & Olymene Prometheus. Confer. Apollodor. Bibl. l. I. cap. I. §. 3. & Heſiod. a v. 19.

b *Penes Saturnum ſolum fuit*. Adverſus quem Titanas terram produxiſſe, notat Servius ad æn. VI. 580. Inter quos quum Sol pugnare contra Deos noluiſſet una cum fratribus, ipſe ſolus Cælum promeruiſſe dicitur, cæteris ad tartara detruſis.

9.

Factum eſſe diluvium ad perdendam, de terra malitiam, conſtat inter homines [a]. Id enim et philoſophi, et poetæ [b], ſcriptoreſque rerum antiquarum loquuntur, in eoque, vel maxime [c] cum prophetarum ſermone conſentiunt.

O 3 Si

a *Factum eſſe diluvium ad perdindam de terra malitiam, conſtat inter homines.* Al. *ad pellendam, tollendamque ex orbe terræ . . . . . . inter omnes.* In libello de *æquivocis*, quem Annius Viterbienſis ſub falſo Xenophontis nomine edidit, non unum, non tres, ſed quinque enumerantur Diluvia: primum quidem trimeſtrem ſub Ogyge Priſco. Secundum Niliacum menſtruum ſub Hercule, & Prometheo. Ægyptiis tertium bimeſtre in Achaja ſub Ogyge Attico. Quartum Theſſalonicenſe trimeſtre ſub Deucalione: Quintum pariter trimeſtre ſub Proteo Ægyptio, qui Paridi Helenam rapuit. Nonnus vero L. III. Dionyſ., & Iſidorus Origin. L. XIII. cap. XXII. Tria ſolummodo enumerant; Primum ſcilicet ſub Noè. Secundum in Acaja temporibus Jacobi Patriarchæ. Tertium in Theſſalia Moyſis, Amphitrionis, & Deucalionis ætate. Hocce poſtremum nunnulli perperam confundunt cum primo Noetico. Alii nullum ex iis univerſale fuiſſe contendunt; nec pauca circa modum, quo contigere comminiſcuntur, de quibus vide, quæ diximus Diſſ. XXII. cap. II. §. I.

b *Id enim Philoſophi, & Poetæ.* Al. *idem Philoſophi, & Poëtæ.*

c *In eoque vel maxime.* Al. *Tò vel* non habent.

10.

Si ergo cataclyſmus ideo factus eſt [a], ut malitia, quæ per nimiam multitudinem increverat, perderetur: quomodo fictor hominis Prometheus fuit? cujus filium Deucalionem iidem ipſi ob juſtitiam ſolum dicunt eſſe ſervatum [b], quomodo unus gradus, et una progenies orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere?

---

a *Si ergo Cataclyſmus ideo factus eſt*, Al. *a Deo factus eſt*. Al. *a Deo ideo factus eſt*. Varro L. III. C. I. ſeg. 3. de R. R. Thebæ, ait, quæ ante Cataclyſmon Ogygis conditæ dicuntur. Et Hygin. fab. CLIII. Cataclyſmus, inquit, quod nos diluvium, vel irrigationem dicimus.

b *Deucalionem iidem ipſi ob juſtitiam ſolum dicunt eſſe ſervatum*. Al. *eſſe dicunt*. Promethei filius Deucalion, vir dicitur a Mythologis integer, ac pius, qui una cum Pyrrha Uxore ſua, diluvio invaleſcente ad Parnaſi montis cacumen Themidis conſilio conſcendens, non ſolum eos ſervaſſe fertur incolumes, qui ad ſe ratibus confugerunt; ſed etiam lapides poſt terga jactos in homines; quemadmodum uxor ejus in fæminas convertiſſe. Vide Ovidium L. I. Metam. fab. VIII. Hygin. fab. CLIII. Juſt. L. II. cap. V. Euſeb. in Chron. L. I. &c.

11.

Sed videlicet hoc quoque ſic corruperunt; ut illud ſuperius; quum ignorarent, et quo tem-

tempore [a] cataclyſmus ſit factus in terra, et quis ob juſtitiam meruerit genere humano pereunte ſervari [b], et quomodo, aut cum quibus ſervatus ſit: quæ omnia propheticæ literæ docent [c]. Apparet ergo falſum eſſe, quod de opificio iidem Promethei narrant.

a *Et quo tempore*. Al. *in quo tempore*.

b *Meruerit genere humano pereunte ſervari*. Al. *ſalvari*. Verbum *mereo* fere ſemper ab Hæreticis noſtri temporis exponitur per id, quod eſt *obtineo*, *impetro*, & exempla afferunt etiam Sanctorum Eccleſiæ Patrum, illudque præſertim ex præconio, quo utimur in benedictione Cerei Paſchalis, quod nonnulli Auguſtino, alii Ambroſio, quidam Gregorio Magno tribuunt: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Salvatorem*: ſed tamen non ita ſemper exponi debet, aut poteſt, ut heic præſertim contingit, ubi Deucalion meruiſſe dicitur *ob juſtitiam ſervari*. Vide a nobis dicta in Diſſ. xxxv. ubi de merito egimus adverſus novatores .cap. VII. §. III.

c *Propheticæ literæ docent*. Nempe Geneſ. c. VI. & ſeq.

12.

Verum (quia poetas dixeram non omnino mentiri ſolere [a]; ſed figuris involvere, et obſcurare quæ dicunt): non dico eſſe mentitos, ſed primum omnium Prometheum ſimulachrum hominis formaſſe de molli, ac

a *Quia Poetas dixeram non omnino mentiri ſolere*. Nempe paullo ſupra ſeg. 5., & Lib. I. cap. XI. a ſeg. 23. ſeq.

pingui luto [b], ab eoque primo natam artem, ſtatuas, et ſimulachra fingendi; ſiquidem Jovis temporibus fuit: quibus primum templa conſtitui, et novi deorum cultus eſſe cæperunt.

b *De molli, ac pingui luto*. Al. *de pingui, ac molli*. De primo ſimulacrorum fictore Vide Diſſ. XXVII. ubi *de origine Idolatriæ loquimur*. Schottus legit nobiſcum, ſed tacet ex quo codice.

13.

Sic veritas fucata mendacio eſt: et illud, quod a Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus eſt, cæpit adſcribi [a]. Cæterum fictio veri, ac vivi hominis ejuſmodi eſt [b].

a *Cæpit adſcribi*. Al. *etiam cæpit aſcribi*.
b *Fictio veri, ac vivi hominis ejuſmodi eſt*. Al. *hominis e limo Dei eſt*. Vide ſupra ſeg. 3.

14.

Quod Hermes quoque tradit: qui non tantum hominem ad imaginem Dei factum eſſe [a], dixit a Deo, ſed etiam illud explanare tentavit, quam ſubtili ratione ſingula quæque in corpore hominis membra formaverit, quum eorum nihil ſit, quod non tantundem ad uſus neceſſitatem, quantum ad pulchritudinem valeat.

Id

a *Ad imaginem Dei factum eſſe*. Al. *fictum*.

15.

Id vero etiam Stoici, quum de providentia diſſerunt, facere conantur, et ſecutus eos Tullius pluribus quidem locis [a], ſed tamen materiam tam copioſam, et uberem ſtrictim contigit [b]: quam ego nunc iccirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum [c] ſcripſi.

---

a *Pluribus quidem locis*. Vide cap. 1. *de Opif. Dei.*

b *Strictim contigit*. Cicer. L. II. ad Att. Epiſt. 1. *ſtrictim attigiſti*.

c *Ad Demetrianum auditorem meum*. Vide Diſſ. VI. In margine noſtri codicis antiquiſſima manu ſcriptum eſt: *de Providentia ad Demetrianum librum edidit*: qui tamen inſcribitur *de Opificio Dei*, ſeu *de formatione hominis*, in quo contra Epicurum Providentiæ cauſſa ſtrenue propugnatur.

16.

Illud hoc loco præterire non poſſum, quod errantes philoſophi quidam ajunt, homines, cæteraque animalia ſine ullo artifice orta eſſe de terra, unde illud Virgilianum eſt:

. . . . *Virumque*
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

Et ii maxime fuere [a] in ea ſententia, qui eſſe

---

a Utrumque Terrea progenies. Sic Aldus. Al. *Tò virumque* non habent. Al. *Ferrea progenies*; Sed omnino legendum eſt *Terrea*, quidquid nonnulli dixe-

eſſe providentiam negant [b]. Nam Stoici animantium fabricam divinæ ſollertiæ tribuunt.

xerint in notis ſuis, ſive ad hunc locum, ſive ad Virgilii textum; nam ſic ſenſus obvius, ſententia perſpicua, & lectio Mediceo antiquiſſimo codici, a Foggino edito, conformis, ubi ſuperpoſito eodem charactere T. legitur *Terrea*.

b *Qui eſſe providentiam negant*. Sic Lucretius præſertim l. v. a verſ. 800., concludens v. 818.

Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipſa creavit
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne &c.

17.

Ariſtoteles autem labore ſe [a], ac moleſtia liberavit, dicens, ſemper fuiſſe mundum [b]: itaque & humanum genus, & cætera, quæ in eo ſunt, initium non habere, ſed fuiſſe ſemper, ac ſemper fore.

a *Labore ſe*. Al. *ſe labore*. Al. *laboraſſe*. Al. *laborioſe*.

b *Semper fuiſſe mundum*: A Philonis Judæi temporibus quidam fuerunt, qui hujus dogmatis primum authorem fuiſſe negabant Ariſtotelem: & Cenſorinus cap. xvIII de die Natali inventum hocce tribuit Platoni, ut obſrevavit etiam Gaſſendus. Alii vero id jure tribuunt Pythagoreis, & præcipue Epicharmo, & Empedocli apud Cudvvorth. Syſt. int. c. I v. ſ. 14. Quibus tamen Ocellus Lucanus ex eadem Pythagoræ Secta præiviſſe dicitur; Unde Jacobus Deportus p. 384. poëm.

Dum

Dum mundum æternum putat, haud bene cernit Ocellus:
Vera Lucanus denique luce caret.

Ejus Libellus, in quo hanc opinionem promit, Græce inſcriptus περὶ τοῦ παντὸς φύσιος etiamnum extat integer, quamquam non eadem dialecto, qua apud Stobæum ſcriptus fuiſſe videtur. Primum Pariſiis Græce prodiit an. MDXXXIX. Poſtmodum & Latine, Guilelmo Chriſtiano, Franciſci I. Galliarum Regis medico, olim interprete, Lugd. MDXLI. editus fuit. Al. legunt *mundum ſemper fuiſſe*: Al. *ſemper mundum fuiſſe*. Apud Clem. Alexand. L. VI. *Stromat*: idem pariter ſentire videtur Heraclitus Epheſius, & clariſſime id aſſerit Plinius Secundus L. II. N. H. cap. 1., ubi *Mundum*, inquit, *& hoc, nomine alio Cælum appellare libuit, cujus circumflexu ligantur cuncta, numen eſſe credi par eſt, æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam.*

18.

Sed quum videamus, ſingula quæque animalia, quæ ante non fuerant, eſſe incipere, & eſſe deſinere: neceſſe eſt, totum genus aliquando eſſe cæpiſſe, & aliquando deſiturum [a] eſſe, quia cæpit [b].

a *Deſiturum*. Al. *deſitura*.
b *Quia cæpit*. Al. *quia cæperit*.

19.

Omnia enim tribus temporibus contineri neceſſe eſt, præterito, præſenti, futuro. Præteriti eſt origo, præſentis ſubſtantia [a], futuri diſſolutio. Quæ

a *Præſentis ſubſtantia*. Subſtantiam heic ſumit noſter pro eo, quod dicunt *exiſtentiam*.

20.

Quæ omnia in ſingulis hominibus apparent: incipimus enim quum naſcimur: & ſumus, quum vivimus: & deſinimus, quum interimus. Unde etiam tres Parcas eſſe voluerunt [a], unam, quæ vitam homini ordiatur [b]: alteram, quæ contexat: tertiam, quæ rumpat, ac finiat.

---

a *Unde tres Parcas eſſe voluerunt*. De iis diximus ad L. I. cap. XI. ſeg. 14. Heic in Editione Sublacenſi adſutus eſt verſus, qui in quantitate peccat ſecundi pedis:

Cloto Colum bajulat, Lacheſis trahit, Atropos occat.

Quare melius proſa oratione apud antiquos Grammaticos legitur: *Cloto Colum bajulat, Lacheſis net, Atropos filum frangit*.

b *Quæ vitam homini ordiatur*. Vl. *hominis*. Al. *hominibus*. Al. *hominum*. Vide Platon. *L. x. de Repub.* Ariſt. *L. de Mundo*. Ciceron. *de N. R. L. III.*

21.

In toto autem genere hominum quia ſolum præſens tempus apparet: ex eo tamen & præteritum, id eſt origo colligitur, & futurum, id eſt diſſolutio.

22.

Nam quoniam eſt [a], apparet aliquando cæpiſſe: (eſſe enim nulla res ſine exordio poteſt [b]), & quia cæpit, apparet quandoque de-

---

a *Nam quoniam eſt &c.* Subaudi: *tempus*.

b (*Eſſe enim nulla res ſine exordio poteſt*) Hæc in-

deſiturum [c]. Nec enim poteſt id totum eſſe immortale, quod ex mortalibus conſtat [d].

---

intra parentheſim ſcite clauſit Bunem: ut connexio cum ſequentibus clarior fieret, ſequitur enim.

c *Et quia cæpit, apparet quandoque deſiturum.* Scilicet idem tempus, & quidquid, eo menſuratur; unde male Al. habent *deſitura*. Hinc confirmatur lectio, & explicatio noſtra, quam dedimus L. I. cap. VII., ſeg. 13. ex eodem Lactantio l. VII. cap. I. ſeg. 6.

d *Quod ex mortalibus conſtat*. Non ergo Anima rationalis, non Angelus, non Deus, quia mortalibus non conſtant, ut alibi idem docet Lactantius.

23.

Nam ſicut univerſi per ſingulos interimus, fieri poteſt, ut aliquo caſu omnes ſimul, vel ſterilitate terrarum, quæ accidere particulatim ſolet, vel peſtilentia ubique diffuſa, quæ ſingulas urbes [a], aut regiones [b] plerunque populatur: vel incendio in orbem immiſſo [c], quale jam fuiſſe ſub Phaethonte [d] di-

---

a *Quæ ſingulas urbes*. Bon. *qua*: male, ſequitur enim *populatur*.

b *Aut regiones*. Al. *atque regiones*.

c *In orbem immiſſo*. Al. *miſſo*. Bon. *in orbem immiſſo*.

d *Sub Phaëthonte*. Notiſſima Phaëthontis fabula, de qua Ovid. L. I. Metam. fine, & II. princip., & Hygin. fab. CLII. Obſerva heic Lactantii prudentiam, qui fabulis utitur, quamvis idem ex S. Scripturis oſtendere id potuiſſet. Agit enim adverſus Ethnicos, qui fa-

dicitur : vel diluvio aquarum , quale ſub Deucalione [e] traditur , quum præter unum hominem genus omne deletum eſt .

fabulas pro hiſtoriis jam receperant, &. divinarum Scripiurarum revelationem minime noverant .

e *Sub Deucalione* . Idem obſerva, quod ſupra monuimus, & adde quæ diximus ſeg. 9. & 1c.

24.

Quod diluvium ſi caſu accidit [a] , profecto potuit accidere, ut & unus ille, qui ſuperfuit, interiret. Si autem divinæ providentiæ nutu [b] , quod negari non poteſt, ad reparandos homines reſervatus eſt : apparet, in Dei poteſtate eſſe vel vitam, vel interitum generis humani, quod ſi poteſt occidere in totum [c] , quia per partes occidit : apparet, aliquando eſſe ortum : & ut fragilitas initium [d] , ſic declarat et terminum .

a *Si caſu accidit* . Vide Diſſ. xxi i.

b *Divinæ Providentiæ nutu* . Sic etiam Aldus . Al. *divinæ Providentiæ nutum* .

c *In totum* id eſt ; *omnino* . Schottus *Tò in* quaſi ſpurium delet *V.* Terent in Eun. 5. 9. 8.

d *Et ut fragilitas*, *initium &c.* Al. *ut & fragilitas.* Al. *& ut fragilitatis* .

25.

Quæ ſi vera ſunt : non potuit [a] defendere

a *Non potuit* . Al. *non potuerit*. Nobiſcum legit Aldus .

re Ariſtoteles, quo minus habuerit et mundus ipſe principium. Quod ſi Ariſtoteli Plato, et Epicurus [b] extorquent: et Platoni, et Ariſtoteli, qui ſemper fore mundum putaverunt, licet ſint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet [c], quia ſequitur, ut habeat et finem.

b *Plato, & Epicurus*. Hinc collige Lactantium non crediditſſe, æternitatem mundi ex Platonis ſententia profluxiſſe, ut ſeg. 17. ex Cenſorino annotavimus, quamvis eum in æternum duraturum Plato cum Ariſtotele aſſeruerit, ut ſtatim Lactantius ſubdit.

c *Licet ſint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet*. Sic etiam Aldus. Lego cum pluribus, & melioribus, ubi Bon. prave legit: *ingrati tamen idem Epicurus docet*. Al. *ingrate*. *Tò ingratis*: valet idem ac *invitis*. *Velint, nolint*. Donatus ad Teren. Eun. II. 1. 14. Aldus. *Ingratis tamen idem Epicurus docet*.

26.

Sed hæc in ultimo libro pluribus exequemur [a]. Nunc ad hominis originem recurramus.

p *Exequemur*. Bon. more antiquo *exſequemur*.

CAP. XII. AL. XI.

1.

AJunt, certis converſionibus cæli [a], et aſtrorum motibus maturitatem quandam

a *Ajunt certis converſionibus Cæli*, Bon. *converſatio-*

dam extitiſſe animalium ſerendorum : itaque terram, novum ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam, in uterorum ſimilitudinem, protuliſſe, de quibus Lucretius :

Creſcebant uteri terræ radicibus apti.

Eoſque, quum maturaviſſent [b], natura cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe.

---

tionibus. Democritus, Epicurus, aliique quidam, Philoſophi de quibus ſuo loco in Diſſ. xxv. locuti ſumus, hanc opinionem impugnarunt; de qua Tullium *de Leg. L. I. cap.* VIII. quidam locutum eſſe putarunt; falluntur tamen, quia ibidem Tullius de Stoicis potius intelligendus eſt, ut bene obſervavit Lipſius *L. III. Phyſiol. Stoic. Diſſ.* IV., nam Deos, dicit, animas in corpora, caſu ex limo efformata, indidiſſe, quod Epicurei pernegabant a diis factum.

b *Maturaviſſent.* Al. *maturaſſent*. Al. *maturuiſſent.* Sic Aldus à *maturo* Al. *Matureſcunt*. Hanc eandem varationem reperies in editis Quintil. *Epiſt. ad Tryphonem*.

2.

Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoque alimento animantes eſſe nutritos [a]. Quomodo igitur [b] vim frigoris, vel caloris ferre [c], aut vitare potuerunt, aut omnino naſci, quum ſol exu-

---

a *Eſſe nutritos*. Sic ſemper in noſtro cod., quod eſt uſitatius. Al. *innutritos*.

b *Quomodo igitur*. Sic Aldus. Al. *quomodo autem*.

c *Vel caloris ferre*. Bon. *ferree*. Al. *aut caloris*.

exureret, frigus aſtringeret? *Non erant*, inquiunt [d], *in principio mundi hiems*, *&* *æſtas* [e], *ſed perpetua temperies*, *&* *ver æquabile*.

d NON ERANT, *inquiunt*. Lucretius l. v. 817.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æſtus, nec magnis viribus auras.

e *Hyems*, *&* *æſtas*. Al. *nec hyemens, nec æſtas*: Al. *nec hiens*, *&* *æſtas*.

3.

Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? *Quia ſemel*, ajunt [a], *fieri neceſſarium fuit, ut animalia naſcerentur, poſtquam vero eſſe cæperint* [b], *conceſſa his facultate generandi*, *&* *terra parere deſiit*, *&* *temporis conditio mutata eſt*.

a QUIA SEMEL, *ajunt*, &c. Lucretius ibidem.
b POSTQUAM VERO ESSE CÆPERINT. Al. *cæperunt*.

4.

O quam facile eſt redarguere mendacia [a]! Primum, quod nihil poteſt eſſe in hoc mundo, quod non ſic permaneat, ut incæpit. Nec enim Sol, et Luna, et aſtra tunc non erant, aut quum eſſent, meatus non habebant [b], ac non divina moderatio [c], quæ curſus

a *Redarguere mendacia*. Al. *mendacia redarguere*.

b *Meatus non habebant*. An hæc fuerit Lactantii ſententia vide Diſſ. xxv.

c *Ac non divina moderatio*. Al. *aut divina moderatio*.

ſus eorum temperat, et gubernat, cum ipſis ſimul cæperat [d].

d *Cum ipſis ſimul cæperat*. Al. *cæperit*. Al. *cæpit*. Bun. olim tentabat *ut non divina &c.* Heuman. *reſcribo*, inquit, *aut divina moderatio curſus eorum non moderabat, & gubernabat, quæ cum ipſis ſimul cæperat*. Al. *cum ipſi ſimul cæperint*. Schottus nobiſcum legit.

5.

Deinde, quod ſi ita ſit, ut dicunt, eſſe providentiam [a], neceſſe eſt, & in idipſum [b] incidunt, quod maxime fugiunt.

a *Eſſe providentiam*. Al. *providentiam eſſe*.
b *Et in id ipſum*. Sic etiam Aldus. Al. *in idem ipſum*. Al. *in ipſum*.

6.

Nondum enim natis animalibus, aliquis providit, ut naſcerentur, ne orbis terræ deſertus, atque incultus horreret; ut autem de terra ſine officio parentum naſci poſſent, neceſſe eſt magna ratione eſſe proviſum: deinde ut humor ille concretus è terra in varias imagines corporum fingeretur; item ut è folliculis, quibus tegebantur, accepta vivendi [a], ſentiendique ratione, tanquam ex alvo matrum funderentur [b].

Mi-

a *Accepta vivendi*. Al. *videndi*.
b *Ex alvo matrum funderentur*. Al. *profundentur*. Aldus nobiſcum legit.

7.

Mira inextricabiliſque [a] proviſio eſt, ſed putemus id quoque caſu accidiſſe: illa certe, quæ ſequuntur, fortuita eſſe non poſſunt, ut terra continuo lacte manaret, ut aeris temperies eſset æqualis.

---

a *Mira ineſtricabiliſque*. Sic etiam Aldus. Al. *ineſpicabiliſque*.

8.

Quæ ſi conſtat, iccirco eſse facta, ut animalia recens edita [a] vel haberent alimentum, vel non haberent periculum [b]: neceſse eſt, ut aliquis divina, neſcio qua ratione, providerit: quis autem poteſt providere, niſi Deus?

---

a *Recens edita*. Bon. *recenſendi*. Al. *recenter nata*. Al. *recenter edita*.

b *Vel haberent alimentum, vel non haberent periculum*. Bon. *vel haberent alimentum, vel non haberent alimentum, vel non haberent periculum*.

9.

Videamus ergo [a], an idipſum, quod dictitant, fieri potuerit, ut homines naſcerentur è terra. Si conſideret aliquis, quandiu, & quibus modis educetur infans [b], intelliget pro-

P 2

---

a *Videamus ergo*. Sic Aldus. Al. *videamus autem*. Al. *videamus tamen*.

b *Quamdiu, & quibus modis educetur infans*. Bon.

profecto, non potuiſſe terrigenas illos pueros ſine ullo educatore nutriri.

Bon. *diu*, *&* *quibus modis edocetur hoc*. Aldus *educetur infans hic* A. *hic* L. varie ſcilicet in utroque MS. codice.

10.

Fuit enim neceſse, compluribus menſibus [a] jacere ejectos, donec confirmatis nervis movere ſe [b], locum mutare poſsent: quod vix intra unius anni ſpatium fieri poteſt.

a *Compluribus menſibus*. Al. *quampluribus*.

b *Jacere ejectos donec confirmatis &c.* Al. *jacere projectos donec confirmati movere ſe &c.*

11.

Vide utrum ne [a] infans eodem modo, & eodem loco, quo fuſus eſt [b], jacere multis menſibus [c] valuerit, ac non humore [d] illo terræ, quod alimenti gratia miniſtrabat, et ſuis corporis purgamentis in unum miſtis obrutus, corruptuſque moreretur?

a *Vide utrumne*. Al. *jam, vide*.

b *Quo fuſus eſt*. Al. *quo eſt effuſus*.

c *Multis menſibus*. Al. *per multos menſes*.

d *Valuerit, ac non humore*. Al. *valuerit? Ac non & humore*.

12.

Itaque nullo modo fieri poteſt, quin ab ali-

aliquo fuerit educatus: niſi forte animalia omnia non tenera nata ſunt, ſed excreta [a], quod ut dicerent, nunquam venit illis in mentem.

---

a *Sed excreta*. Al. *ex creta* male; nam *excreta* ab *excreſo* i. e. *Adoleſco*. Virgil. III. Georg. v. 497.

Multi jam excretos prohibent a matribus hædos

ubi Servius: *excretos* i. e. *validiores*: poſſet etiam derivari ab *excerno* quod idem eſt ac *extramitto*; quamvis prima acceptio proprior ſit, quum author contraponat *tenera*, & *excreta*.

13.

Omnis igitur illa ratio [a] impoſſibilis [b], et vana eſt, ſi tamen ratio dici poteſt, qua id agitur, ut nulla ſit ratio. Qui enim dicit, omnia ſua ſponte eſſe nata, nihilque divinæ providentiæ tribuit: hic profecto rationem non aſſerit, ſed evertit.

P 3 Quod

---

a *Omnis igitur illa ratio*. Al. *omnes ergo*.

b *Impoſſibilis*. Walchius ait: hac voce aureo ſæculo nemo uſus fuit. Quum equidem omnes Scriptores illius ætatis non viderim, nec videre potuerint aliqui, penes Criticum hunc effati fides hujus eſto. Cæterum Quintilianus, qui ſi non aureo, argenteo profecto ſcripſit ſæculo, *non enim longum tantum*, ait, l. v. cap. x. *de Argumento*; *ſed etiam* IMPOSSIBILIS. Idem l. x. cap. XIII. Adde Juſtinum l. II. cap. v. duodecim ſtipendia, quaſi impoſſibile, impetraverit. Vide etiam Borrich. Vind. pag. 103.

14.

Quod ſi neque quicquam fieri ſine ratione, neque naſci poteſt: apparet divinam eſſe providentiam, cujus eſt proprium, quod dicitur ratio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem.

15.

Quod Cicero, quamvis expers cæleſtium literarum, vidit tamen, qui libro de Legibus primo, hoc idem tradidit, quod Prophetæ. Ejus verba ſunt ſubjecta [a].

a *Ejus verba ſint ſubjecta*. Al. *cujus verba ſubjeci.*

16.

Animal hoc providum, ſagax, multiplex [a]*, acutum, memor, plenum rationis, & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe a ſupremo Deo* [b]*: ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps*

a Multiplex. Latet inquit Bunem: haud protrita notio in voce hac, ſimplicitati ſtupidæ oppoſita, cujus generis eſt Græc. πανοῦργος: & ſcite quidem, nam Cicero ſæpe ea utitur in hac acceptione. E.g. de Amicit. 66. *ingenium multiplex*, *& tortuoſum* 1. Acad. quæſt. 17. *Plato multiplex*, *copioſus*, *& varius fuit &c.* & Patercul. l. 11. n. 105. *Sentium*, ait, *Saturninum*, *virum multiplicem in virtutibus*, *navum*, *agilem*, *providum &c.*

b A Supremo Deo. Al. *a ſummo*. Nobiſcum legunt meliores Ciceronis editiones l. 1. de leg. cap. 7. unde hæc authoritas deprompta eſt.

ceps rationis, & cogitationis, quum cætera ſint omnia expertia.

17.

Vides ne hominem, quamvis longe a veritatis notitia remotum, tamen quoniam imaginem ſapientiæ tuebatur, intellexiſſe, non niſi a Deo hominem potuiſſe generari? Sed tamen divinis opus eſt teſtimoniis, neminus humana ſufficiant.

18.

Sibylla hominem Dei opus eſſe teſtatur:

Ὅς μόνος ἐςὶ θεὸς κτιςὴς ἀκράτητος ὑπάρχων

Αὐτὸς δ' ἐςήριξε τύπον μορφῆς μερόπωντε.

Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενέης βυότοιο.

---

a Ὅς μόνος In proœmio Carmin. Sybil. l. 1. v. 5. edit. Gall. p. 36. &c. Sic latine in duplici Vaticano codice hæc ſunt expoſita:

Qui ſolus eſt Deus Creator invictus exiſtens.

Al. *nullius imperio ſubjectus*:

Ipſe autem firmavit figuram formæ, hominemque

Al. *Typum formæ ſolidavit, & hominem miſcuit.*

Ipſe miſcuit naturam omnium generationis vitæ.

19.

Eadem tamen ſanctæ literæ continent. Deus ergo veri patris officio functus eſt. Ipſe corpus effinxit, ipſe animam, qua ſpiramus, infudit. Illius eſt totum, quicquid ſumus.

20.

☞ Quomodo id fecerit, ſi nos operteret ſcire, docuiſſet, ſicut docuit cætera, quæ congnitionem nobis et priſtini erroris, et veri luminis attulerunt [a].

a *Attulerunt*. Sic omnes. Bon. *attulerint*.

CAP. XIII. AL. XII.

1.

QUum ergo marem primum [a] ad ſimilitudinem ſuam finxiſſet, tum etiam fœminam configuravit ad ipſius hominis effigiem, ut duo inter ſe miſti ſexus [b] propagare ſobolem [c] poſſent, & omnem terram multitudine opplere [d].

a *Quum ergo marem primum*. Al. *Tò primum* non habent, vel poſtponunt.
b *Miſti ſexus*. Al. *permiſti ſexus*.
c *Propagare ſobolem*. Bon. *ſubolem*. More antiquorum, qui etiam *ſibullam*, & *ſubullam* pro *Sibyllam* ſcripſere.
d *Opplere*. Bon. *oblere*.

2.

Ipſius autem hominis fictione, illarum duarum materiarum [a], quas inter ſe diximus eſſe contrarias, ignis, & aquæ, concluſit [b], perfecitque rationem. Fi-

a *Materiarum*. Sic etiam Aldus. Al. *materierum*.
b *Ignis, & aquæ concluſit rationem*. Vide quæ diximus ad cap. x. ſeg. 19.

3.

Ficto enim corpore inſpiravit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui [a], qui eſt perennis: ut ipſius mundi ex contrariis conſtantis elementis ſimilitudinem gereret. Conſtat enim ex anima, & corpore, id eſt, quaſi è cælo, & terra [b]: quandoquidem anima, qua vivimus, velut è cælo, oritur a Deo [c], corpus è terra, cujus è limo diximus eſſe formatum.

a *Inſpiravit ei animam de vitali fonte Spiritus ſui*. Raudenſis, aliique poſt ipſum heic Lactantium in ſententia Platonis locutum fuiſſe aſſerunt, eique affingunt errorem Cerdonis, & Marcionis; ſed toto errant Cælo, ut oſtendimus Diſſ. xxxiv. quum nihil aliud heic velit Lactantius niſi id, quod docet Scriptura Geneſ. II. v. 7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Al *ſpiravit*. Al. *aſpiravit*.

b *Id eſt, quaſi è Cælo, & terra*. Preme Lector Tò *quaſi*, ne abripiaris a Raudenſi, qui iterum heic Lactantium incuſat.

c *Velut è Cælo oritur a Deo*. Ergo non ex Dei, aut ex Cæli ſubſtantia; ſed *a Deo, velut è Cælo*, ut contraponatur Corpori, quod a Deo quidem factum eſt, non *velut* de Terra, ſed è *terra*, ex cujus limo conſtat eſſe fabricatum, ut ſuperius vidimus cap. xi. 3.

4.

Empedocles [a], quem neſcias, utrum ne inter poetas, an inter philoſophos numeres, quod

a *Empedocles*. De eo vide quæ diximus Diſſ. xl.

quod de rerum natura verſibus ſcripſit, ut apud Romanos Lucretius, & Varro, quatuor elementa conſtituit, Ignem, Aerem *b*, Aquam, & Terram, fortaſſe Triſmegiſtum ſecutus; qui noſtra corpora ex his quatuor elementis conſtituta eſſe, dixit a Deo.

b *Conſtituit: Ignem; Aërem &c.* Al. *conſtituit: id eſt Ignem.*

5.

Habere namque in ſe aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ: & neque ignem eſſe, neque aerem, neque aquam, neque terram, quæ quidem falſa non ſunt. Nam terræ ratio, in carne eſt: humoris, in ſanguine: aeris, in ſpiritu: ignis, in calore vitali.

6.

Sed neque ſanguis a corpore ſeparari [a] poteſt, ſicut humor a terra: neque calor vitalis a ſpiritu, ſicut ignis ab aere: adeo rerum omnium duo ſola reperiuntur elementa [b], quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione concluſa eſt.

Ex

a *A corpore ſeparari.* Sic etiam Aldus. Al. *ſecerni.* Al. *ſperari.* Intellige Sanguinem a corpore ſeparari ideo non poſſe, quia & ipſe corpus eſt, & vitam alit in corpore.

b *Adeo rerum omnium duo ſola reperiuntur elementa.* Vide ſupra cap. x. ſeg. 15.

7.

Ex rebus ergo diverſis [a], ac repugnantibus homo factus eſt, ſicut ipſe mundus ex luce, ac tenebris, ex vita & morte: quæ duo inter ſe pugnare in homine præcepit, ut ſi anima ſuperaverit, quæ oritur ex Deo, ſit immortalis, & in perpetua luce verſetur [b]: ſi autem corpus vicerit animam, ditionique ſubjecerit, ſit in tenebris ſempiternis, & in morte.

a *Ex rebus ergo diverſis*. Al. *ex rebus igitur*. En quomodo Lactantius explicat id, quod cap. x. hujus libri a ſeg. 4. & ſeq. dixerat, & a quibuſdam in pravum ſenſum fuerat explicatum.

b *Quæ oritur ex Deo, ſit immortalis, & in perpetua luce verſetur*. Vide Geret. p. VII. Primum hujus periodi membrum, exponendum eſt per id, quod notavimus ſupra ſeg. 3., & ex hac ſententia vindicandus Lactantius adverſus eos, qui illi tribuunt errorem de Animæ mortalilate, quum dicit l. VII, cap. v. ſeg. 22. *non omnem hominem natum immortalitate donari*. Non intelligentes, *immortalitatem* ab eo pro æterna, beataque vita, ut heic apparet, ibidem uſurpari. Vide Diſſ. XXV. Bonon. codex heic habet *ſit in mortalis* quem ſcribendi modum ſemper retinet.

8.

Cujus non ea vis eſt, ut injuſtas animas extinguat omnino, ſed ut puniat in æternum [a]. Eam pœnam, mortem ſecundam nomi-

a *Cujus non ea vis eſt, ut injuſtas animas extinguat omni-*

minamus[b], quæ eſt et ipſa perpetua, ſicut et immortalitas.

---

omnino: ſed ut puniat in æternum. Hæc non ſolum ſupradicta declarant, ſed & Socinianos debellant, quum abutuntur ea Pſal. 1. v. 5. authoritate: *Non reſurgent impii in judicio*. Vide Diſſ. xxxv. Ubi Lactantium ab eo errore vindicamus.

b *Eam pænam mortem ſecundam nominamus*. Ex Apocalypſis xx. v. 11. *Et mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & judicati ſunt ſecundum opera eorum* v. 14. *Hæc eſt mors ſecunda*.

9.

Primam ſic definimus: Mors eſt naturæ animantium diſſolutio, vel ita: Mors eſt corporis, animæque ſeductio[a]. Secundam vero ſic: Mors eſt æterni doloris perpeſſio, vel ita: Mors eſt animarum pro meritis ad æterna ſupplicia damnatio. Hæc mutas pecudes non attingit: quarum animæ non ex Deo conſtantes, ſed de communi aere[b], morte ſolvuntur.

In

---

a *Animæque ſeductio*. Al. *diſſolutio*. Male, nam vox iſta quantumvis apte adhibita in prima definitione, non tamen bene in ſecunda adhiberetur, quum non ſit diſſolutio, ſed animæ, & corporis ſeparatio, aut diſcretio, id eſt, *ſeductio* Virgil. l. iv. Æn. v. 385.

Et quum frigida mors animæ ſeduxerit artus &c.

b *Non ex Deo conſtantes, ſed de communi aere*. Id eſt, *non ex Dei voluntate, aut virtute poſt ſeparationem a corpore adhuc in eſſe perſeverantes*. *Conſto* enim ele-

elegenter uſurpatur pro eo quod eſt *per ſe ipſum ſtare*. Cicer. *de* Orat. Lib. III. 20. *eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis verbis eſt; alius, qui ex continuatis, conjunctiſque conſtat*. Item pro perſeverare. Cicer. *de Offic.* L. I. *ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus*, & Horatius L. I. Epiſt. XIII. v. 16.

Me conſtare mihi ſcis, & diſcedere triſtem
Quandocumque trahunt inviſa negocia Romam.

An autem pecudum animæ de aëre communi ſint factæ, quis definire audeat? Id certum eſt, eas extrema animantium reſpiratione diſſolvi, nec ultra ſibi conſtare. Al. *ex communi aere*.

10.

In hac igitur ſocietate [a] cæli, atque terræ, quorum effigies in homine [b] expreſſa eſt, ſuperiorem partem tenent ea, quæ ſunt Dei, anima ſcilicet, quæ dominium corporis habet: inferiorem autem, ea quæ ſunt diaboli, corpus utique [c]: quod quia terrenum eſt, animæ debet eſſe ſubjectum, ſicut terra cęlo.

Eſt

a *In hac igitur ſocietate*. Bon. *in has igitur ſocietates*.

b *Quorum effigies in homine &c.* Aldus. *In hominem*. Bon. *expreſſa eſt in hominem*.

c *Inferiorem autem ea, quæ ſunt Diaboli, corpus utique &c.* Si hæc verba cum ſuperioribus non conferatur a ſeg. 7. Duriorem ſententiam ſine dubio continere videbuntur; explicanda ergo ſunt juxta illud Apoſtoli ad Roman. VI. ℣. 6. *ut deſtruatur corpus peccati*. Vide Diſſ. XXXV.

11.

Eſt enim [a] terra, quaſi vaſculum, quo, tanquam domicilio temporali, ſpiritus cæleſtis utatur. [b] Utriuſque officia ſunt, ut hoc, quod eſt ex cælo, & Deo, imperet: illud verò, quod ex terra, ſerviat.

a *Eſt enim*. Sic Aldus. Al. *eſt enim terra*.

b *Spiritus cæleſtis utatur*. Bon. interſerit particulam *hoc*, quæ redundat.

c *Illud vero, quod ex terra, ſerviat*. Aldus nobiſcum legit. Al. *quod ex terra eſt, & Diabolo, ſerviat*. Al. *quod ex terra & Diabolo, ſerviat*.

12.

Quod quidem non fugit hominem nequam Salluſtium [a], qui ait: *Sed omnis noſtra vis in animo, & corpore ſita eſt: animi imperio* [b], *corporis ſervitio, magis utimur*. Recte, ſi ita vixiſſet, ut locutus eſt.

a *Hominem nequam Salluſtium*. De eo vide, quæ a nobis dicta ſunt Diſſ. XL.

b ANIMI IMPERIO. Sic *de Opif. Dei* I. 10. & L. VI. cap. I. ſeg. 7.

13.

Servivit enim fœdiſſimis voluptatibus, ſuamque ipſe ſententiam vitæ pravitate diſſolvit.

14.

Quod ſi anima ignis eſt, ut oſtendimus,

mus [a], in cælum debet eniti, ſicut ignis, ne extinguatur, hoc eſt, ad immortalitatem, quæ in cælo eſt [b]. Nam ſicut [c] ardere, ac vivere non poteſt ignis, niſi in aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum: ſic animæ materia, & cibus, eſt ſola juſtitia, qua tenetur ad vitam [d].

---

a *Quod ſi anima ignis eſt, ut oſtendimus*. Metaphoricus nempe per relationem ad ea, quæ dixit paullo ſupra a ſeg. 2. & alibi notavimus. Vide Diſſ. xxv.

b *Hoc eſt ad immortalitatem, quæ in Cælo eſt*. Confer cum illis, quæ diximus ſeg. 7.: omnia enim hæc a ſuperioribus pendent, ſicuti concluſiones a præmiſſis.

c *Nam ſicut*. Sic Aldus. Al. *& ſicuti*. Hinc ex inducta comparatione, clarus, & purus emicat ſenſus, quem ſub verborum cortice latere voluit Lactantius, ut ſenſim ſemina veritatis in Ethnicorum animos opportune, & tamquam ex ipſorum ſententia inſinuaret.

d *Qua tenetur ad vitam*. Scilicet æternam illam, & beatam, quam ex Chriſti Domini meritis, nobis per Sacramenta, boniſque operibus, applicatis, nos conſecuturos eſſe ſperamus, ideoque non dixit: *qua tenetur vita*, ut ait Cicero L. II. de Nat. Deor. n. 54. *Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, Spiritu*; ſed *ad vitam*; venturam ſcilicet, ad quam ordinati ſumus.

15.

Poſt hæc [a] Deus hominem, qua expoſui ratio-

---

a *Poſt hæc*. Al. *poſt hoc*.

tione generatum, poſuit in Paradiſo [b], id eſt in horto fecundiſſimo, & amæniſſimo: quem in partibus orientis [c], omni genere ligni, arborumque conſevit [d], ut ex earum variis fructibus aleretur, experſque [e] omnium laborum, Deo patri ſumma devotione [f] ſerviret.

---

b *Poſuit in Paradiſo.* Geneſ. II. ℣. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat.*

c *In partibus orientis.* Ubi vere fuerit locus iſte, in quo Adam a Deo eſt poſitus, ignoratur. Ii, qui de eo ſcripſerunt Huetius, Bochartus, Relandus, Markius, aliique quamplurimi hanc Lactantii ſententiam ita explicant, ut locum hunc ſitum fuiſſe dicant in plaga orientali, ſaltem reſpectu Moyſis, quum divinam ſcribebat hiſtoriam. Vide Diſſ. XXII.

d *Conſevit.* Al. *conſeruit.* Nobiſcum legit Aldus.

e *Experſque omnium laborum Deo patri ſumma devotione ſerviret.* Geneſ. cap. II. ℣. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Non iis contradicit Lactantius; nam operari tunc circa terræ culturam non laboris, ſed oblectamenti opus fuiſſet, ut Interpretes omnes ibidem notant.

f *Summa devotione.* Diverſa fuiſſe videtur apud antiquos hujus vocabuli acceptio ab ea, ſecundum quam heic a Lactantio uſurpatur; Devotio enim apud Ethnicos erat vitæ propriæ oblatio ad iram numinum placandam; Unde Cicer. L. III. de Nat. Deor. Tu autem, ait, etiam Deciorum devotionibus placandos eſſe cenſes &c. Item pro *execratione*, ac *voto* ſumi aliquando potuit. Quid ergo heic vox iſta ſibi velit ex

Cæ-

Cæſar. comm. de Bell. Gall. L. III. c. 22. deſumendum eſt, ubi participio utitur ad eos ſignificandos, qui in alterius amicitiam ſeſe dediderunt: *qui ſummam Imperii tenebat cum ſexcentis devotis . . . quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderunt*. Ex quibus intelligere poteris quantam diligentiam Lactantius adhibuerit in verborum delectu; vix enim reperies aliam vocem, quæ eadem exprimat, & Adæ tam apte quadret in Paradiſi deliciis conſtituto.

16.

Tum dedit ei certa mandata, quæ ſi obſervaſſet mortalis maneret [a]: ſi tranſcendiſſet [b], morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una, quæ fuerat [c] in medio Paradiſo, non guſtaret, in qua poſuerat intelligentiam boni, & mali [d].

a *Immortalis maneret*. Locus iſte contra Pelagium eſt, aſſerentem, non pro culpa Adam mortem ſubiiſſe, ſed pro ſua naturali conditione. Vide Diſſ. xxv. Cap. vii. §. vi.

b *Si tranſcendiſſet*. Sic cum fere omnibus lego, ubi Bon. habet *tranſgrediſſet*. Al. *ttangreſſiſſet*.

c *Quæ fuerat*. Al. *quæ fuit* etiam Aldus noſtram prætulit lectionem.

d *Intelligentiam boni, & mali*. Plurimæ ſunt Eruditorum opiniones de hac arbore: ea tamen inter omnes receptiſſima eſt, quæ aſſerit, ſic dictam fuiſſe ab eventu; Homo enim mali adhuc neſcius, violando Dei præceptum, malis omnibus obnoxius factus eſt. Vide Diſſ. ſupra indicatam.

17.

Tum criminator ille invidens operibus Dei [a], omnes fallacias, & calliditates ſuas ad dejiciendum hominem [b] intendit, ut ei adimeret immortalitatem.

a *Tum criminator ille invidens operibus Dei*. Vide ſupra cap. IX. à ſeg. 4., & Diſſ. XXVI.

b *Ad dejiciendum hominem*. Al. *ad decipiendum*. Lact. l. IV. cap. XXVII. 17. De pravis Angelis loquens ait, *dejiciendi hominis cauſſa varias .. cultus ... condiderunt*.

18.

Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum ſumeret: & per eam ipſi quoque homini perſuaſit, ut tranſgrederetur [a] Dei legem. Percepta igitur ſcientia boni, & mali, pudere eum nuditatis ſuę cæpit, abſconditque ſe a facie Dei: quod antea non ſolebat.

a *Ut tranſgrederetur*. Bon. *trangrederet*. Al. *ut tranſcenderet*. Aldus legit nobiſcum.

19.

Tum Deus, ſententia in peccatorem data, ejecit hominem de Paradiſo, ut victum ſibi labore conquireret [a], ipſumque Paradiſum

a *Tum Deus ſententia in peccatorem data, ejecit hominem de Paradiſo, ut victum ſibi labore conquireret*.

ſum igni circumvallavit [b], ne homo poſſet accedere, donec ſummum judicium faciat in terra, & juſtos viros cultores ſuos in eundem locum revocet, morte ſublata, ſicut ſacræ voces docent [c], & Sibylla Erythræa, quum dicit:

> **Oἱ δὲ** [d] *θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναόν γε*
> *Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν αἰῶνος χρόνον, αὐτοὶ*
> *Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον*

---

ret. Hæc eſt lectio noſtri Codicis; niſi quod non *peccatorem*, ſed *peccatore*, ſcripſit Librarius. Aldus verba eodem modo diſpoſuit; ſed pro *data* legit *lata* Iſæus ordinem verborum immutavit. Al. *in peccatores lata*.

b *ipſumque Paradiſum igni circumvallavit*. Geneſ. III. 24. *Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*.

c *Donec ſummum judicium faciat in terra, & juſtos viros, cultores ſuos in eundem locum revocet, morte ſublata, ſicuti ſacræ voces docent*. Al. *ſacræ literæ*. Quid heic per ſacras voces Lactantius intelligat, ignoro; nullibi enim in ſacris literis dicitur, quod juſti poſt judicium univerſale ſint a Deo in Paradiſum voluptatis, a quo ejectus fuit Adam, introducendi. Quare puto, Lactantium intellexiſſe de millenario Chriſti Domini in terris regno cum electis ſuis poſſidendo, antequam in Cæleſtem Patriam introducantur; errando nimirum cum nonnullis primorum ſæculorum Patribus ex cap. XX. Apocalypſis perperam interpretato, ut videbimus l. VII. cap. XXIV. & Diſſ. XXXVI.

d **Oἱ δὲ** &c. Latinus interpres ſic in veteri codice hoſce verſus perſcripſit. Apud *Theoph. L. II.* ad Auth.

Qui autem Deum honorant verum ſempiternam utique
Vitam hæreditario jure poſſident per ſæculi tempus ipſi
Habitantes Paradiſum æque peramoenum hortum.

20.

Verum quoniam hæc extrema ſunt, in extrema operis hujus parte tractabimus [a]. Nunc ea, quæ prima ſunt, explicemus. Mors itaque ſecuta eſt hominem ſecundum Dei [b] ſententiam: quod etiam Sibylla in carmine ſuo docet, dicens:

Ἄνθρωπον πλασθέντα· θεοῦ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς
Ὅντε πλάνησεν ὄφις δολίως ἐπὶ μοῖραν ἀνελθεῖν
Τοῦ θανάτου, γνῶσιν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦτε.

Sic

---

a *Hæc extrema ſunt, in extrema operis hujus parte tractabimus*: Bon: *tractavimus*. Al. *hæc extranea* ... *in extranea*. Al. *totaliter in extremam* .... *partem*.

b *Mors itaque ſecuta eſt hominem ſecundum Dei ſententiam*. Non ſtatim, ſed poſt plurimos annos, ut infra videbimus, mortuus eſt Adam: dicitur tamen mors illi, Paradiſo exulanti, ſe comitem dediſſe, quoniam morti jam factus erat obnoxius.

c *Ανθρωπον πλασθέντα*: *πεπλᾶσθαι* habet Lactantius, non *πεπολᾶσθαι* ut notat Gallæus pag. 733. Idem ibidem ait, *Manuſcriptus Lactantius legit πλασθέντα* quem nos ſecuti ſumus ob metri rationem, &c. locum Latinus Interpres ſic Latine reddidit

Hominem formatum eſſe Dei manibus
Quem etiam ſeduxit Serpens doloſe, ut ad fatum accederet
Mortis, notionemque acciperet boni, ac mali.

Ὅντε. alii *ὅν κε*: alii *ὅνκ'*. Sibyl. ſerm. viii.

21.

Sic facta eſt vita hominis [a] temporaria [b], ſed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur. Quod divinis literis proditum [c], & per omnium ſcientiam publicatum, quum Varro non ignoraret, argumentari nixus eſt[d], cur putarentur antiqui, mille annos victitaſſe.

a *Sic facta eſt vita hominis temporaria*. Al. verborum ordine perturbato habent *temporalis*.

b *Quæ in mille annos propagaretur*. Etſi ex Scripturis Sanctis non conſtat, aliquem mille annos vixiſſe, Lactantius heic definitum annum poſuit, quem nec Adam, nec mortalium aliquis attingeret, quod in hujus capitis extremo ipſe monet.

c *Quod divinis literis proditum*. Gen. a cap. V. ad IX.

d *Varro non ignoraret, argumentari nixus eſt*. Scilicet per conjecturas.

22.

Ait enim; apud Ægyptios pro annis menſes haberi [a], ut non Solis per XII. ſigna circuitus faciat annum, ſed luna, quæ orbem illum ſigniferum [b] XXX. dierum ſpatio luſtrat,

Q 3

a *Apud Ægyptios pro annis menſes haberi*. Vide Diſſ. XXII.

b *Orbem illum ſigniferum*. Græce Ζωδιακὸς; Sphæræ ſcilicet majoris circulus, qui oblique æquinoctialem in partes æquales ſecat: cujus una medietas ad ſeptemtrionem, reliqua ad auſtrum declinat, duodecim animalium ſignis diſtinctus, quem Sol XII. menſibus; Luna XXX. fere diebus conficit.

ſtrat [c], quod argumentum perſpicue falſum eſt [d].

c *Spatio luſtrat*. Al. illuſtrat, nobiſcum legunt Schottus, & Urſinus.

d *Quod argumentum perſpicue falſum eſt*. Primo ſiquidem ob rationem, quam ſtatim ſubdit Lactantius, ſcilicet quia nullus umquam fuit, qui mille annos vixiſſe dicatur, multoque minus qui hunc annorum numerum ſit trangreſſus. Secundo: Moyſes annos more Hebræorum ſupputavit, apud quos XII. menſibus annus conſtabat, & menſis quilibet diebus XXX. ut S. Auguſtinus oſtendit L. XV. *De Civit. Dei* cap. 14.

23.

Nunc vero qui ad centeſimum perveniunt, quod fit ſæpiſſime, [a] mille certe ac ducentis menſibus vivunt, & authores idonei tradunt, ad cxx. annos pervenire ſolere.

a *Quod fit ſæpiſſime*. Res digna obſervatione.

24.

Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando vita hominis eſſet diminuta, ipſe diminuit, quum ſciret, mille quadringentis quadraginta menſibus poſſe vivere hominem [a].

CAP.

a *Mille quadringentis quadraginta menſibus poſſe hominem vivere*. Sic etiam Aldus. Al. *mille quadringentis poſſe vivere hominem*. Tò *quadraginta* deeſt in Cod. Bon: antiquiori, extat tamen in aliis, & cxx. annos complent, ſicuti exigit ſupputatio.

CAP. XIV. AL. XIII.

1.

DEus autem poſtea, quum videret orbem terræ malitia, & ſceleribus oppletum [a], ſtatuit humanum genus diluvio perdere : ſed tamen ad multitudinem reparandam delegit unum, quod corruptis omnibus ſingulare juſtitiæ ſupererat exemplum [b] :

a *Oppletum*. Bon. ut ſupra *obpletum*.

b *Delegit unum, quod corruptis omnibus ſingulare juſtitiæ ſupererat exemplum*. Heum. legere mallet : *unum qui* nempe Noe ; ſed nihil mutandum, quum referatur ad *exemplum*, vel pro *quia* poſſit comode exponi.

2.

Hic quum ſexcentorum eſſet annorum, fabricavit arcam ; ſicut ei præceperat Deus [a] : in qua ipſe cum conjuge, ac tribus filiis, totidemque nuribus ſervatus eſt ; quum aqua univerſos montes altiſſimos operuiſſet :

a *Sicut ei præceperat Deus*. Al. *præceperat ei* : vide Gen. VI. ℣. 14.

3.

Deinde orbe ſiccato, execratus injuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſum [a] longitudo vitæ, cauſſa eſſet excogitandorum malorum, pau-

a *Ne rurſum*. Al. *rurſus*.

paullatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem [b], atque in centum & viginti annis metam collocavit [c], quam tranſgredi non licet [d].

b *Per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem*. Vide diſſ. xxii.

c *Atque in centum, & viginti annis metam collocavit*. Geneſ. vi. ℣. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum viginti annorum*. Philo *de Gigant.* Joſeph *Antiq. L.* i. *c.* 4., Arnob. L. ii. p. 94., Aliique apud Interpretes, Lactantii ſententiam manifeſte docent; quamvis S. Hierony. *Q. Q. Hebraic.*, S. Chryſoſt. *Homil.* xxii. *in Geneſ.*, S. Auguſt. *de Civ. Dei* L. xv. c. xxiv. & Interpretum plerique putent, ſpatium illud cxx. annorum definitum fuiſſe a Deo ante diluvium ita, ut eo temporis intervallo expleto, ſtatim humanum genus diluvio eſſet exterminandum, nec aliud vivendi tempus, hominibus eſſet relinquendum. Utraque expoſitio ſuas patitur inſtantias; prima quidem, quia poſt diluvium aliqui D, Alii cccc. nonnulli cc., & ccc. & cxxx., & cxl. ætatis annos egerunt. Secunda vero, quia quum Deus hæc verba dixiſſet Noe anno ætatis illius quingenteſimo, & diluvium contigerit centum ſolummodo poſt hanc locutionem annis, jam xx. annorum periodus divinæ revelationi defuiſſet. Non me latet, quid Eruditi utriuſque partis ſtudioſi reponant, ſed via quadam media, quam nota ſequenti oſtendam, cum Lactantio noſtro placet ire. Tu me ſequere ſi lubet.

d *Non licet*. Al. *non liceret*. Ex hac noſtra lectione Scriptoris noſtri ſententia facile explicatur: Senſus enim eſſe videtur: Deus revelaſſe Noè, quum is

is quingentorum eſſet annorum, ſe paullatim minuere ſtatuiſſe per ſingulas progenies hominum ætates, atque in centum, & viginti annis metam collocaſſe, *quam*, inquit Lactantius, *traſgredi non licet*: ſubaudi *hocce tempore*; habito nimirum reſpectu ad ea, quæ dixerat Cap. ſuperiori a ſeg 23. *Nunc vero qui ad centeſimum perveniunt, quod fit ſæpiſſime; mille certe ac ducentis menſibus vivunt & authores idonei tradunt ad* cxx. *annos perveniri ſolere*. Ex quibus omnis contradictio e ſcripturarum ſanctarum textu perſpicue tollitur, & Lactantii ſententia Trebellii Pollionis, qui eidem ſuppar fuit, teſtimonio fulcitur in Vita D. Claudii Imperatoris, quam Conſtantii Cæſaris intuitu ſcripſit; ſiquidem in ea. *Doctiſſimi Mathematicorum*, inquit, *centum & viginti annos homini* ad *vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum: Etiam illud addentes, Moſen ſolum, Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem*, cxxv. *annos vixiſſe* &c. Fabulam addens, more Ethnicorum, a Rabbinis in vulgus ſparſam; conſtat enim ex Deuter. xxxiv, ℣. 7. quod. *Moyſes centum viginti annorum erat, quando mortuus eſt*. Vide diſſ. xxii.

4.

Ille vero, quum egreſſus eſſet ex arca, ſicuti ſanctæ literæ docent [a], terram ſtudioſe coluit, atque vineam ſevit [b]. Unde arguuntur, qui authorem vini Liberum putant,

a *Quum egreſſus eſſet ex arca, ſicuti ſanctæ literæ docent*. Al. *Tò ſicuti* non habent. Al. loco illius legunt *ut*.

b *Ac vineam ſevit*. Bon. *ac vinea* Al. *atque vineam ſua manu ſerit*. Aldus: *Atque vineam*.

tant [c]. Ille enim non modo Liberum, ſed etiam Saturnum, atque Uranum multis anteceſſit ætatibus [d]: qua ex vinea quum primum fructum cepiſſet, lætus factus, bibit uſque ad ebrietatem, jacuitque nudus [e]. Quod

c *Qui authorem vini Liberum putant*. Iccirco Mythologi quidam, qui ex Sacris ſcripturis putant fabulas eſſe deſumptas, Patriarcham Noe in Baccho recognoſcunt. Vide Huet. *demonſtr. Evang.* Propoſ. IV. c. X. ſeg. VI.

d *Multis anteceſſit ætatibus*. Vide tabul. Chron. diſſ. XXII.

e *Bibit uſque ad ſatietatem, jacuitque nudus*. Incomode inquit heic Bunemannus ex hac hiſtoria Cyprianus *typum Dominicæ paſſionis*, & *S. Cœnæ elicuit L.* II. *Epiſt.* III. *ad Cæcil.* Sed non ita dixiſſet ſi Sancti Martyris verba ex ipſo fonte libaſſet. Ea quippe proſequuntur in laudata Epiſtola poſt illud Chriſti Domini effatum. Joannni XV. *Ego ſum vitis vera* ℣. 5. Sed Utinam vir iſte, inter omnes Lactantii editores, tam bene de illius operibus egregio meritus labore, & inter omnes Proteſtantes ſingulari modeſtia, ſuo functus munere, tamquam ſibi datam, eandem epiſtolam, quæ in poſtremis editionibus eſt LXIII., ſedulo perlegiſſet, & præſertim mentis aciem figendo ubi S. Martyr ex divina traditione loquens, *Sacrificium verum*, *ac plenum* in Euchariſtica Cæna Deo Patri offerri a Sacerdotibus, Chriſti Domini, & Eccleſiæ miniſtris, manifeſtiſſime docet: Intellexiſſet fortaſſe non ſolum myſterium illud in nudo Noe adumbratum; ſed etiam temerariam, damnatamque calumniam, qua ſuarum partium væſani homines Sacroſan-
tum

tum Miſſæ ſacrificium, a nobis ſecundum Eccleſiæ ritum agitari ſolitum, tamquam Monachorum commentum traducunt. De quo ſuo loco diſſ. xxxv. luculenter egimus.

5.

Quod quum vidiſſet unus ex filiis, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem: ſed egreſſus, etiam fratribus indicavit. At illi ſumpto pallio, intraverunt averſis vultibus, patremque texerunt.

6.

Quæ facta quum recognoviſſet pater [a], abdicavit, atque expulit filium [b]. At ille profu-

a *Quæ facta quum recognoviſſet pater*. Bon. *recognoſcet*. Al. *quæ quum facta*.

b *Abdicavit, atque expulit filium*. Gen. IX. ℣. 24. *Evigilans autem Noe ex vino, quum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait, maledictus Chanaan: ſervus ſervorum erit patribus ſuis*. Ex quibus apparet abdicatum, expulſum, & diris devotum ab avo Nepotem, non vero filium fuiſſe; & quidem multiplici ratione primo quidem, quia Cham partem habuit in terræ diviſione cum fratribus ſuis, ut infra viſuri ſumus. Secundo, quia abſtinendum putavit Noe a maledictione Chami, cui ex arca egredienti benedixerat Deus. Gen. ibid. ℣. 1. Tertio quia in filio imprecatis infauſtis, jam etiam patri ejus pœna infligebatur. Quarto demum, quia ex recepta Hebræorum traditione, Chanaan fuit, qui primum nuditatem avi, a ſe deprehenſam, Chami, patri ſuo indicavit,

fugus in ejus terræ parte conſedit, quæ nunc Arabia nominatur [c], eaque terra ex nomine ejus Chanaam dicta eſt [d]; & poſteri ejus Chananæi.

Hæc

vit, qui fratres deinde jocabundus, ſenemque deridens rei ſpectatores voluit: Vide Theodoret. Quæſt. LVII. in Geneſ.

c *Quæ nunc Arabia nominatur*. Euſebius *in Theſauro Tempor. pag.* 10. & *Cedrenus in* 1. *Annal.* tradunt, Noè, juſſum a Deo, diviſum in tres portiones terrarum orbem filiis ſuis reliquiſſe. Oriens proinde Semo contigit. Africa univerſa, Arabiæ, & Syriæ portio data eſt Chamo. Europa vero cum inſulis, ac ſeptentrionalibus Aſiæ regionibus, Japheto ceſſit: Reimmannus *in hiſt. Atheiſmi* pro *Arabia* legere mallet Judæa; forte quia in aliquo Ms. Codice ex ora libri In textum vox illa irrepſit; nam terra Chanaan, ſic primum quidem dicta eſt, ſed poſtmodum, pulſis antiquis cultoribus ab Iſraelitis, Judæa nuncupari cæpit. Arabia vero a Lactantio dicitur, quia Arabiæ Petrææ ab occaſu, & Meridie contermina eſt, illucque profugus ſe recepit Chanaan adhuc adoleſcens, cujus poſteri in montibus habitantes, ſub Arabum nomine etiamnum ex raptu plerumque vivunt, Palæſtinæ vias, & agros latrociniis infeſtantes, ut noſtri, qui Carmelum montem incolunt, teſtes oculati, & ſæpe ſæpius experti, teſtantur.

d *Eaque terra ex nomine ejus Chanaan dicta eſt*. Al. *de nomine ſuo*. Hanc regionem occupavere filii Chanaan, quibus tandem expulſis, Judæa dicta eſt, quum impleta fuit ſententia, quam non ardore vindictæ, ſed ore prophetico, tamquam Dei Miniſter, tulit Noë adverſus prophani nepotis poſteritatem, quæ erat in futuram ſervitutem redigenda.

7.

Hæc fuit prima Progenies, quæ Deum ignoravit [a], quoniam princeps ejus & conditor, cultum Dei a patre non accepit [b], maledictus ab eo: itaque ignorantiam divinitatis minoribus ſuis reliquit.

a *Hæc fuit prima progenies, quæ Deum ignoravit*: Scilicet Chanaan, ut ſtatim explicat Lactantius. Al. *prima Gens*. Aldus nobiſcum legit.

b *Quoniam princeps ejus, & conditor, cultum Dei a Patre non accepit*. Hæe de progenie Cham, ſive de Chamo ipſo intelligi non poſſunt; ipſe enim in Arca fuerat cum Patre, & Fratribus ſuis: ac proinde de Chanaan intelligenda ſunt, qui adoleſcens fuerat ejectus, ut ſeg. ſuperiori diximus. In Bon. Cod. pro *cultum Dei*; legitur: *Vultum Dei*.

8.

Ab hac gente proximi quique populi multitudine increſcente fluxerunt [a]. Ipſius autem patris poſteri, Hebræi dicti [b], penes quos religio Dei reſedit. Sed

a *Ab hac gente proximi quique populi multitudine increſcente fluxerunt*. Chami ſobolem fœcundiſſimã, potentiſſimamq; olim fuiſſe, conſtat, ex Gen. x. a v. 6. ad 20.

b *Ipſius autem patris poſteri Hæbrei dicti*. Ad Noe iterum Noſter revertitur, a quo genitus Sem, filium habuit nomine Hæber, unde Hebræorum nomen, & gentem profluxiſſe plerique omnes expoſitores tradunt; quamvis nonnullis apud Bochartum, iidem dicti potius videantur a voce *Eber*, quæ apud Judæos idem valet, ac *ultra* ſeu *trans*; Abraham enim Tranſeuphratenſis fuit, eique Hebræi nomen, inde genti commune factum eſſe, propterea contendunt.

9.

Sed ab his poſtea multiplicato in immenſum numero [a], quum eos anguſtiæ locorum ſuorum capere non poſſent, tum adoleſcentes vel miſſi a parentibus, vel ſua ſponte, quum rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas ſibi novas ſedes, huc atque illuc diſperſi, omnes inſulas, et orbem totum replerunt, et a ſtirpe ſanctæ radicis avulſi, novos ſibi mores, ac inſtituta pro arbitrio condiderunt.

a *Sed ab his poſtea multiplicato in immenſum numero*. Al *multiplicari*. Al. *Multiplicari in immenſum numerum*.

10.

Sed omnium primi qui Ægyptum occupaverunt, cæleſtia ſuſpicere, atque adorare, cœperunt [a]. Et quia neque domiciliis tegebantur [b] propter aeris qualitatem, nec ullis in

a *Sed omnium primi. qui Ægyptum occupaverunt, Cæleſtia ſuſpicere, atque adorare cæperunt*. Ægyptus Regio eſt Aſiæ proxima, & iccirco a quibuſdam Geographis inter Aſiæ partes adnumerata, ſoli vero, Arabico ſinu Aſiam inter, & Africam, tamquam termino conſtituto, Africæ eam reddidere Aſſyrii, Phœnices, eam occupaverunt, Barbararum gentium antiquiſſimi Hanc primi, ut Seg. 6. oſtendimus tenuerunt Chnanæi, ac proinde de iis heic loquitur Lactantius; Polytheiſmi detegens originem; de qua vide diſſ. XXVII.

b *Et quia neque domiciliis tegebantur*. Al. *& quia domiciliis non tegebantur*.

in ea regione nubibus ſubtexitur cælum[c], curſus ſyderum, et effectus notaverunt, dum ea ſæpe venerantes, curioſius, ac liberius intuerentur[d].

c *Nec ullis in ea regione nubibus ſubtexitur Cælum*, Al. *nec enim ſubtegitur*. Noſtra Lectio ab Aldo, & a melioribus retinetur, & merito. Lucr. l. v. V. 467.

Corpore concreto ſubtexunt nubila Cælum

Sic Virgilius, ſic Statius apud Cellarium. *Hæc verba in quibuſdam editis clauduntur parentheſi, & pro* ullis *habent enim*. Quod autem in Ægypto nubes Cœli faciem non obtegant, nullus, puto erit, qui ignoret, id teſtantibus omnibus, qui eam regionem viderunt, vel de eadem ſcripſerunt. Quia tamen in finitimis regionibus vapores, & exhalationes in nubes prope ſolſtitium æſtivum concreſcunt, quæ ex ſeptentrione in meridiem a ventis pulſæ, in pluvias aliquando diſſolvuntur, hinc quidam contrarium tradidiſſe viſi ſunt, quos tamen facile hac adhibita obſervatione conciliamus. Vide Pomponium Melam L. 1. Georg., & Philon. Jud. L. 1. de Vita Moyſis.

d *Curſus ſyderum, & effectus notaverunt dum ea ſæpe venerantes, curioſius, ac liberius intuerentur*: Bon., & Aldus *venerantur . . . intuentes*; a qua lectione ſenſu expoſtulante recedo cum aliis omnibus, quorum tamen plerique pro *Tò effectus* habent *defectus*.

11.

Poſtea deinde[a] portentificas animalium fi-

a *Poſtea deinde*. Pleonaſmus ad plenam ſignificationem adhibitus etiam a Cicesone *de Clar. Orat. Poſtaque proſperæ res deinceps multæ conſecutæ ſunt*.

figuras, quas colerent, commenti ſunt [b], quibuſdam prodigiis inducti [c]: quorum mox authores aperiemus.

b *Portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti ſunt*: vox *portentificas*, quam Walchius in catalogo ſuo exhibet inter voces *impuras*, & in notis *rariſſimam* appellat: *Latina eſt, & ab Ovidio Metam.* XIV. ℣. 55. *uſitatam: Hunc Dea prævitiat; portentificiſque venenis inquinat* &c. Item ea utitur antiquus interpres carminum Sibyllinorum L. VI. c. XIII. ſeg. 11., & nos notavimus ibidem ſeg. 15. De figuris autem, de quibus Lactantius loquitur, vide diſſ. XXVII.

c *Quibuſdam prodigiis inducti*: Vide ibidem.

12.

Cæteri autem, qui per terram diſperſi fuerunt, admirantes elementa mundi [a], cælum ſolem, terram, mare, ſine ullis imaginibus [b] ac templis venerabantur, et his ſacrificia in aperto celebrabant, donec proceſſu temporis potentiſſimis regibus templa, et ſimulachra fecerunt [c], eaque victimis, et odoribus colere inſtituerunt: ſic aberrantes a notitia Dei, gentes eſſe cœperunt.

a *Elementa Mundi*. I. e. partes. Vide ad L. I. cap. V. ſeg. 7.

b *Sine ullis imaginibus*. Nam Nondum idololatria regnum extenderat ad gentes extra Ægyptum.

c *Templa, & ſimulachra fecerunt*: Vide ubi ſupra de origine Idololatriæ.

13.

Errant igitur, qui Deorum cultus ab exor-

ordio rerum fuiſſe contendunt, et priorem eſſe gentilitatem, quam Dei religionem: quam putant poſterius inventam: quia fontem, atque originem veritatis ignorant. Nunc ad principium mundi revertamur.

CAP. XV. AL. XIV.

1.

QUum ego [a] numerus hominum cæpiſſet increſcere [b], providens Deus, ne fraudibus ſuis Diabolus [c], cui ab initio dederat terræ poteſtatem [d], vel corrumperet, vel

a *Quum ergo*. Caput iſtud iis ſcatet erroribus vetuſtiſſimis, quorum veſtigia ſuperſunt in libris non ſolum Rabbinorum; verum etiam antiquorum Eccleſiæ Patrum, qui Apocrypho Enochi Volumini, ante Jeſu Chriſti ætatem fortaſſe ab aliquo Hebræorum edito, plus nimio detulerunt. De nota hiſce Lactantii erroribus inurenda agitur a nobis Diſſ. xxxvi. De pravis autem, boniſque Angelis Diſſ. xxvi.

b *Cæpiſſet increſcere*. Al. *recreſcere*. Confer cap. præced. ſeg. 8. & lib. iv. cap. 1. 12.

c *Diabolus*. Al. *Zabolus*. Hujus vocis originem διάβολος a verbo διαβάλλω eſſe viri docti exiſtimant, quod Aeolice ζαβάλλω effertur; unde ζάβουλος Zabolus putat S. Hilarius; non vero quod ζα pro διὰ præpoſitione extra compoſitionem uſurpetur, ut male cum Eraſmo obſervant Bunemannus, & alii apud ipſum in hoc ſeg. cap. xiv. ſuæ editionis.

d *Cui ab initio dederat terræ poteſtatem*. Tamquam

vel homines diſperderet [e], quod in exordio rerum fecerat [f], miſit angelos ad tutelam, cultumque generis humani [g]: quibus, quia li-

quam unus ex Lactantii erroribus, quod heic aſſerit, a nonnullis notatur apud Geret p. VII. debet tamen benigne exponi ſecundum ea, quæ habentur ad Eph. VI. 12. Mundi rectores tenebrarum harum. Et Jo. XII. 31. Princeps hujus mundi. Item XIV. 30. XVI. 11. Lucæ XXII. 53. poteſtas tenebrarum. Adde Diſſ. XXVI., & XXXVI.

e *Homines diſperderet*. Sic etiam Aldus. Al. *diſpergeret homines*.

f *Quod in exordio rerum fecerat*. Al. *quos*. Scilicet *homines* ſed omnino male, nam nobiſcum plerique, & meliores legunt; confirmaturque noſtra lectio ex Epitom. XXVII. 6. *quem a princio deceperat*: de Adamo loquens, ut vidit etiam Bunem: Al. *Tò rerum* non habeat. Aldus eam reſtituit, & nobiſcum legit.

g *Miſit Angelos ad tutelam, cultumque generis humani* Idem Lactantius ſibi interpres eſt Epitom. XXVII. 9. *Angelos miſit, ut vitam hominum excolerent, eoſque ab omni malo tuerentur*. Non heic ergo Lactantius loquitur de Angelis Tutelaribus, unicuique homini, ſive a conceptione, ſive ab animatione, ſive a nativitate, aut in baptiſmate aſſignatis, ſecundum illud Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei*. Sed de iis, qui ſæpe ſæpius a Deo mittebantur adjutores popoli ſui, ut expreſſe habetur Exod. XXIII. v. 30. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnedum putes: quia non dimittet,* *quum*

liberum arbitrium erat datum [h], præcepit ante amnia [i], ne terræ contagione maculati ſubſtantiæ cæleſtis amitterent dignitatem; ſcilicet id eos facere prohibuit, quod ſciebat eſſe facturos, ut veniam ſperare non poſſent [k].

quum peccaveris &c. Quam promiſſionem Deum adimpleviſſe Sacræ teſtantur literæ, & tamquam rem notam, exploratamque Regi Edom, per nuncios ſuos commemorat Moyſes num. cap. xx. v. 16. De Angelis autem tutelaribus, unicuique homini a Deo datis, vide Diſſ. xxvi. & notas ad L. VI. cap. 3. ubi de eis clariſſime noſter loquitur.

h *Quibus, quia liberum arbitrium erat datum.* Deſunt hæc in quibusdam Mss., ſed ex Lactantio eſſe, ea oſtendunt, quæ habet ſupra cap. ix. ſeg. 4. Obſerva tamen, Angelos omnes, qui in ſua creatione donati libero fuerunt arbitrio, facta ab eis electione, ita in ea obfirmatos manſiſſe, ut in eis libertas quidem *contradictionis*, non autem *contrarietatis* amplius eſſe potuiſſet. Vide Diſſ. xxvi.

i *Præcepit ante omnia.* Fabulam heic narrat Lactantius, quam ex libro Apocrypho ſub Enochi nomine circumlato depromptam fuiſſe, monuimus ad hujus capitis initium. Vide Diſſ. ibidem laudatas, & quæ infra ſunt annotata.

k *Ut veniam ſperare non poſſent.* Angeli, qui vere cum Lucifero peccarunt, nullam ſperare potuiſſe veniam ex obfirmatione in malo, quod elegerant, omnes docent Theologi. Nec ex alia parte Chriſtus Dominus pro eis mortuus eſt; aut tunc erat moriturus: *nullum* enim, ait, Tertullianus cap. xiv. *de Carne*

Chri-

Chriſti. Nullum inquam, mandatum de ſalute Angelorum ſuſcepit Chriſtus à Patre. Quod Pater neque repromiſit, neque mandavit, Chriſtus adminiſtrare non potuit. Et hinc in perditis Spiritibus ſpei fundamentum eſſe non poteſt. Contrarius error damnatus eſt in Origene, eumque denuo ſuſcitavit Socinus, quem nonnulli amentes etiamnum ſequuntur. Vide Iſagogen noſtram §. XXII.

2.

Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallaciſſimus, conſuetudine ipſa paullatim ad vitia pellexit, & mulierum congreſſibus inquinavit [a].

a *Et mulierum congreſſibus inquinavit*. En Lactantii error, quem etſi Sanctorum Eccleſiæ Patrum nonnulli ante ipſum docuerunt, & fundamentum in ſcriptura habere videntur; eum tamen divina Chriſti Domini eloquia, & clariora ejusdem ſcripturæ teſtimonia, ac aliorum Patrum & Eccleſiæ totius authoritas, merito improbant, atque refellunt. Vide Diſſ. XXVI. & XXXVI.

3.

Tum in cælum ob peccata, quibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram; ſic eos diabolus ex angelis Dei ſuos fecit ſatellites, ac miniſtros.

4.

Qui autem ſunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam

diam quandam naturam gerentes [a], non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cælum parentes eorum.

a *Sed mediam quandam naturam gerentes*. En Ethnicorum de Heroibus decantatum ſigmentum, de quo ſuo loco in diſſertationibus noſtris egimus Diſſ. XXVII.

5.

Ita duo genera dæmonum facta ſunt, unum cæleſte, alterum terrenum [a]. Hi ſunt immundi ſpiritus, malorum, quæ geruntur, authores: quorum idem diabolus eſt princeps [b].

 Un-

a *Duo genera Dæmonum facta ſunt, unum Cæleſte, alterum terrenum*. Lact. L. I. cap. VII. ſeg. 11. poſt quam recitaverat verſus illos Apollinis, quos vetus interpres ſic latine redidit: *Dæmones, qui ventitant circa terram, & circa pontum*

Indefeſſi, domantur ſub flagello Dei.

Statim ſubdit; *de utriuſque generibus in II. libro diſſeremus*. Bene ergo Iſæus ait heic: *Modo hæc à ſuperioribus præſcindantur, verum ſenſum nanciſci poſſunt, ut dicamus, cæleſte quidem genus Dæmonum eſſe, quod in aere caliginoſo verſetur; nam Cælum pro aerè non ſolum in profanis, ſed etiam in ſacris literis frequenter accipitur. Terrenum autem genus eſſe, quod in ima telluris viſcera, & in infernum dejectum ex S. Thomæ ſententia diximus*. Vide Diſſ. XXVI. ubi hæc lucolentius explicantur.

b *Quorum idem Diabolus eſt Princeps*. Apoſtatas Angelos eadem pollere in eos, qui ſibi adhæſerunt, præfectura, qua ante peccatum pollebant, docent Theo-

Theologi ; & iccirco quum unus ex eorum principibus is fuerit, qui eos ſeduxit, idem proinde principatum retinet. Vide Diſſ. XXVI.

6.

Unde illum Triſmegiſtus Dæmonarchen vocat [a], dæmones autem Grammatici dictos ajunt quaſi δαήμονας [b], id eſt, peritos, ac rerum ſcios [c]: hos autem putant deos eſſe [d]. Sciunt illi quidem futura multa [e], ſed non omnia, quippe quibus penitus conſilium Dei ſci-

a *Unde illum Triſmegiſtus Demonarchen vocat*. Al. *unde Triſmegiſtus illum* δαιμονάρχην. Al. δαιμονιάρχην.

b *Dictos ajunt, quaſi* δαήμονας. Bon. δήμονας. Al. Δαίμον. Latine Genios. Vide Platonem *in Cratylo* Chalcid. *in Timæum ejusdem* Ludivives in Auguſt. *de Civit. Dei* IX. XX. Lipſium *Phyſiol. Stoicor.* I. XIX. & Lact. infra ſeg. 12.

c *Rerum ſcios*. Al. *ſocios* male. Steph. *ſciens* idem ac *Dænon*.

d *Hos autem putant, Deos eſſe*. Scilicet Ethnici. Generatim hocce vocabulo quivis Deus, vel Dea ab iis vocabatur; ſed interdum in eorum ſcriptis a Diis Dæmon contradiſtinquitur, de quorum diſtinctione vide Plotin. *Ennead.* VIII. III. Deuſquiſ. *in Baſil. Seleucien p.* 62. Suicer. *in Teſaur.* De conſuetudine colendorum Dæmon. ſcripſit Barth. *ad Briton. Aremor. p.* 661.

e *Sciunt illi quidem multa futura &c.* Ea videlicet,

ſcire non licet, et ideo ſolent reſponſa in ambiguos exitus temperare [f].

---

cet, quæ pendent à cauſſis determinatis, ac neceſſariis; non autem quæ a liberis; nam quamvis eorum intellectus nihil in naturalibus paſſus ſit detrimenti: in gratuitis tamen; ſi mera erant ſpeculativa, immutata fuit eorum cognitio, & quæ erant affectiva omnino eis fuerunt ablata. Vide S. Auguſt. *de divin. Dem. &* *lib.* II. *ſuper Geneſ. cap.* XVII. & l. IX. *de Civit. Dei* cap. XXII.

f *Solent reſponſa in ambiguos exitus temperare*. Tertull. in Apolog. cap. XXII. *In oraculis, quo ingenio ambiguitates temperent ineventus*. Adde Minuc. Felic. c. XXV. edit. Gronov. Ciceron. l. II. *de Nat. Deor.* Euſeb: *de Præp. l.* IV. *&* V. Auguſt. *de Civ. Dei* l. III. *cap.* XVII., *& lib.* XIX. *c.* XXIII. Lactant. infra l. IV. cap. XIII. ſeg. II.

7.

Eos poetæ & ſciunt eſſe dæmonas, & loquuntur. Heſiodus ita tradit [a]:

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

---

a *Heſiodus ita tradit τοὶ μὲν δαίμονές*. Al. οἱ. Nobiſcum legit Schottus, & Salvinus in ſua Patavina editione, in qua ſic eos verſus Latine reddidit.

Ii qeidem Dæmones facti ſunt, Jovis magni conſilio,
Boni in terris verſantes, cuſtodes mortalium hominum.

Hos verſus paullo aliter legi a Platone, Ariſtide, & Plutarcho heic monet Cellarius, & ad Grævium de τὸ, ὁ πάνυ in Heſiod. lectores ablegat.

8.

Quod iccirco dictum eſt, quoniam cuſtodes eos humano generi Deus miſerat, ſed ipſi, quum ſint perditores hominum, cuſtodes tamen ſe videri volunt, ut ipſi colantur [a].

---

a *Ut ipſi colantur.* Al. addunt *& Deus non colatur.* quæ ab Aldo reſpuuntur.

9.

Philoſophi quoque de his diſſerunt [a]. Nam Plato etiam naturas eorum in Sympoſio [b] exponere conatus eſt. Et Socrates, [c] eſſe circa ſe aſſiduum dæmona, loquebatur, qui puero ſibi adhæſiſſet, [d] [e] cujus nutu, & arbitrio ſua vita regeretur.

Ma-

---

a *De his diſſerunt.* Al. *dixerunt.*

b *In Sympoſio.* Bon. in *Synphoſio.* Vide Diſſ. xiv.

c *Et Socrates.* De Genio, ſeu de Dæmone Socratis ſæpe fit mentio apud Platonem, Maxim. Tyrium, Plutarch., alioſque, de quibus vide Menag. ad Laert. II. 32. Apulejus de eo libellum ſcripſit, in quo exponit cujus generis eſſet, & quomodo ab eodem monebatur. Addunt Laertius, & S. Auguſtinus l. viii. de Civit. Dei cap. xiv. crebras ſtarnutationes eum Socrati commoviſſe, ac etiam aliquando ſalutem dixiſſe.

d *Qui puero ſibi adhæſiſſet.* Al. *qui ſibi a puero.* Al. *qui ſibi puero.*

e *Et cujus nutu, & arbitrio ſua vita regeretur.* Al. *cujus arbitrio, & nutu gereretur.*

10.

Magorum quoque ars [a] omnis, ac potentia, horum aſpirationibus conſtat, a quibus invocati, viſus hominum præſtigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea, quæ ſunt [b]: & videre ſe putent, quæ non ſunt.

---

a *Magorum quoque ars.* Vide Diſſ. xxvii.
b *Et videre ſe putent, quæ non ſunt.* Al. *ea, quæ.* Al. *illa, quæ.*

11.

Hi, ut dico, ſpiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & in ſolatium [a] perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur, itaque omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus [b] complent.

---

a *Et in ſolatium.* Al. *& ſolatium.* Sed hiec præpoſitio *In* neceſſaria eſt ad exprimendum Dæmonum livorem, qui gaudere ſe poſſe arbitrantur de hominum perditione, quamvis non ideo pænæ eorum mitigentur; ſed potius augeantur, ut deſperatis contingit, quum ſæviunt in ſe ipſos. Nobiſcum legit Aldus.
b *Fraudibus, dolis, erroribus &c. Tò dolis* a pluribus abeſt; Aldus eam vocem reſtituit.

12.

Adhærent enim ſingulis hominibus [a] & omnes

---

a *Adhærent enim ſingulis hominibus &c.* Fere communis apud Ethnicos fuit hæc opinio, quam etiam Origenes, Caſſianus, & Magiſter ſententiarum propu-

omnes oſtiatim domos occupant[b], ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt: ſic enim Latino ſermone dæmonas interpretantur.

---

pugnarunt; docentes unicuique homini non ſolum bonum; ſed pravum etiam Angelum a Deo aſſignatum eſſe. Sunt tamen, qui ſecundam hanc partem negant. Vide Diſſ. xxvi.

b *Et omnes oſtiatim domos occupant.* Immo & urbes, & arces eos cuſtodire dicebant veteres apud Clementem Alexand. l. v. Stromat.; & Prudentius locos omnes ab his cuſtodiri adverſus Symmachum, eos putaſſe cecinit à v. 1254.

Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Quum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios? perque omnia membra
Vrbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

13.

Hos in ſuis penetralibus collocant[a] his quotidie profundunt[b], & ſcientes dæmonas ve-

---

a *Hos in ſuis penetralibus collocant.* Sic etiam Aldus: Al. *conſecrant*. Scilicet ſimulachra eorum, quæ nonnulli putant Idola fuiſſe a Rachele Patri ablata Gen. xxxi. 19. & 30. *Teraphim* Hebræis dicta. Vide Diſſ. xxvii.

b *His quotidie profundunt.* Thomaſius quamvis noſtram lectionem retinuerit, annotavit: *forte legendum eſſe: procunbunt*. Al. *merum profundunt*: Al. *his enim profundunt*. Al. *iis enim profumat*. Lact. in Epitom. de hoc eodem ritu verba faciens cap. xxviii. ſeg. 4. ait:

venerantur, quaſi terreſtres deos, & quaſi depulſores malorum [c]; quæ ipſi faciunt, & irrogant.

ait: *quotidie libatur*, *ut Laribus*: quibus profecto ab Ethnicis, vinum, lac, ſanguis, thus vel quid ſimile offerri mos erat; ego vero nihil hujuſmodi addo, nam *profundere*: ſumitur pro *ultra modum erogare*, *& ſuum prodigere*, quod iis congruit, qui magnis ſumptibus inutilia ſibi comparant.

c *Quaſi depulſores malorum*. Scilicet, quæ ab ipſis prius immittebantur, Deo ſic permittente, ſine cujus nutu nihil omnino contra nos agere poſſunt.

14.

Qui, quoniam ſpiritus ſunt tenues, & incomprehenſibiles [a], inſinuant ſe corporibus hominum, & occulte in viſceribus operantur [b], valetudinem vitiant, morbos citant [c], ſomniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

CAP.

a *Qui quoniam Spiritus ſunt tenues*, *& incomprehenſibiles*. Al. *ſunt Spiritus tenues*. Quidam ex antiquioribus Eccleſiæ patribus Angelis tam bonis, quam malis corpus quoddam tenue, ac agiliſſimum tribuerunt, inter quos fuiſſe nonnullis viſus eſt Lactantius, quod aliunde potius, quam ex iis, quæ heic habet erui poſſe putamus. Vide Diſſ. XXVI., & XXXVI.

b *Et occulte in viſceribus operantur*. Sic Aldus ex Cod. Longobardico, quamvis ex Taxaq. *operati*

c *Morbos citant*. Heuman. *Hocce*, ait, *verborum par*

par ſine mora deleo. Putabat enim, aliquem explicare cum iis voluiſſe: *valetudinem vitiant*: ſed ſane præpropere, ut bene vidit Bunem; nam non omnes libri ſolum ſic legunt; ſed etiam in Epitom. idem repetit noſter cap. XXVIII. ſeg. 8. Irrepunt enim corporibus, ut Spiritus tenues, vitiatiſque membris, morbos conciunt: citare autem morbos, pus, humorem, &c. apud Celſum uſitatum eſſe, docent Grammatici, idemque valet, ac *concitare*, ſeu *Ciere*.

CAP. XVI. AL. XV.

1.

QUarum omnium fallaciarum ratio [a] expertibus veritatis obſcura eſt. Prodeſſe enim putant eos, quod nocere deſinunt [b], qui nihil poſſunt aliud, quam nocere.

a *Quarum omnium fallaciarum ratio*. Confer Auguſt. de Civ. Dei l. IX. cap. XVIII.

b *Quod nocere deſinunt*. Hinc Ægyptii Crocodillos terra, marique pariter hominibus infeſtos, Babilonii Dracones, Romani Febrem, & alii ſimilia percoluiſſe, ne ſibi nocerent, dicuntur. Al. *quum nocere &c.*

2.

Dicat fortaſſe aliquis [a] colendos eſſe ergo, ne noceant, ſiquidem puſſunt nocere. No-

a *Dicat fortaſſe aliquis*. Hæc ab Iſæo omittuntur, qui ſtatim ſubdit: *nocent illi &c.* ex incuria oſcitanti

Nocent illi quidem, ſed his [b], a quibus timentur, quos manus Dei potens, & excelſa non protegit, qui profani ſunt a ſacramento veritatis.

---

tis librarii, qui ſæpe oculos conjiciens in voces, forte repetitas, omittit ea omnia, quæ mediant, ut aliquando obſervavimus in noſtro Bononienſi codice, ac etiam in aliis.

b *Nocent illi quidem, ſed his &c.* Al. *ſed iis.* Tria hominum genera, quibus Dæmones nocent, heic Lactantius recenſet; nimirum I. Qui potius Diabolum, quam Deum timent. II. Quos Deus dereliquit in poteſtatem Dæmonum, quibus ſe mancipios dederunt. III. Qui profani ſunt a Sacramento veritatis; id eſt, qui extra Chriſti Domini Eccleſiam fabulis, figmentis, atque vanis hominum opinionibus decepti, veræ Religionis myſteria vel omnino neſciunt, vel ſcita contemnunt. Vide infra ſeg. 5.

3.

Juſtos autem, id eſt cultores Dei, metuunt, cujus nomine adjurati [a], de corpori-

---

a *Cultores Dei, metuunt, cujus nomine adjurati &c.* Sic etiam l. v. cap. XXII. ſeg. 4. ex quibus notandum, quam antiquum, ac in Eccleſia Dei receptum, & frequentatum fueriit Dæmonum conatus coercere, in eoſque ea uti poteſtate, quam Chriſtus Dominus fidelibus ſuis adverſus illos reliquit, tamquam unam veræ Eccleſiæ notam, quam quum ſe habere non poſſe noſcant Hæretici, dicunt, donum hocce, ſimulac illud miraculorum circa quartum à Chriſto nato ſæ-

ribus excedunt, quorum verbis, tanquam flagris, verberati, non modo dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt illa, quæ in templis adorantur, quod plerunque [b] coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, & honoris ſui [c]. Sed quia nec Deo, per quem adjurantur, nec juſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt.

Ita-

ſæculum ceſſaſſe. At ſplendidum hocce mendacium quotidie in variis terrarum partibus eluditur, & uſque ad ſæculi conſummationem eludetur; ſiquidem in fidei ſuæ teſtimonium hiſce privilegiis Sponſam ſuam donavit Chriſtus ita, ut iiſdem utatur quouſque in terris militaverit, apud S. Evangeliſtam Marcum docens XVI. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loqueatur novis, ſerpentes tollent &c.* Quod revera contigiſſe, paſſimque ad hæc noſtra tempora contingere non ſolum acta Apoſtolorum cap. XIX. a v. 13. ſed etiam Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ. Vide Diſſert. XXX.

b *Quod plerumque*, Al. *& quod plerumque*. Al. *quod etiam plerumque*.

c *Non quidem in opprobrium religionis, & honoris ſui; ſed quia &c.* Sic etiam Aldus. Al. *ſed honoris ſui quia*. Al. *qui* ſimilia habent Minucius Felix, Cyprianus, & Tertullianus, qui c. XXIII. Apolog. *credite illis*, inquit, *quum de ſe verum loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quia potius ad honorem &c.*

4.

Itaque maximis ſæpe ulutatibus editis, verberari ſe, & ardere, & jam, jamque exire proclamant.

5.

Tantum habet Dei cognitio, ac juſtitia poteſtatis [a]. Cui ergo nocere poſſunt, niſi his, quos habent in ſua poteſtate?

---

a *Tantum habet Dei cognitio, ac juſtitia poteſtatis*. In noſtro Bon. cod. manu recenti ſcriptum eſt. *Tantum habet cognitio de ſua juſtitia poteſtatis*.

6.

Denique affirmat eos Hermes, qui cognoverint Deum, non tantum ab incurſibus dæmonum [a] tutos eſſe, verum etiam ne fato quidem teneri. *μία*, inquit [b], *φυλακὴ, ἐυσέβεια. ἐυσεβῦς γὰρ ἀνθρώπυ ὔτε δαίμων κακὸς, ὔτε ἑιμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν ἐυσεβῆ ἐκ παντὸς κακῦ. τὸ γὰρ ἓν ϗ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐςὶν*

---

a *Ab incurſibus Dæmonum*. Al. *ab incurſionibus*.

b *μία*, *inquit*. Græca hæc verba in noſtro codice non leguntur, & quæ Latine exarata fuerunt, abraſa fuiſſe apparet ex hiſce fragmentis: *una . . . . poſtea . . . bonum* c . , *pietas* id eſt, ut in aliis codicibus legitur. *Una cuſtodia pietas. Pium enim hominem nec Dæmon malus, nec fatum tenet. Nam Deus liberat pium ab omni malo. Unum enim, & ſolum in hominibus bonum eſt pietas*.

ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια. Quid ſit autem *Euſebia* oſtendit, alio loco his verbis. *Pietas enim notitia Dei eſt* [d].

c *Quid ſit autem Pietas*. Al. εὐσέβεια ad oram noſtri codicis manu recenti *Euſebia*.

d *Pietas enim notitia Dei eſt*. Al. Græce hæc habent. Al. pro *notitia* legunt *notio* Lact. ipſe l. III. IX. 19. *Pietas*, inquit, *nihil aliud eſt*, *quam Dei parentis cognitio*, & lib. V. cap. XV. ſeg. 11. *Pietas autem nihil aliud eſt*, *quam Dei notio*: Ad oram noſtri Codicis manu recenti ſcriptum eſt: *Pietas enim eſt Dominus*.

7.

Aſclepius quoque auditor ejus [a], eandem ſententiam latius explicavit in illo ſermone perfecto, quem ſcripſit ad regem [b]. Uter-

a *Aſclepius quoque auditor ejus*. Bonon. *adjutor ejus* forte non male, nam in dialogo, qui inſcribitur *Aſclepius*, & ab Appulejo dicitur in latinum translatus, ſic Pſeudo-Hermes exorditur: *Aſclepius iſte pro Sole mihi eſt*. Ibidemque poſt medium hæc habentur: *Avus enim tuus*, *o Aſclepi*, *medicinæ primus*, *inventor*, *cui templum conſecratum eſt in monte Lybiæ*, *circa litus Crocodilorum*: ex quibus eruitur, Aſclepium hunc Æſculapii nepotem fuiſſe aliquando creditum. Vide Diſſ. XL.

b *In illo ſermone perfecto*, *quem ſcripſit ad Regem*. Quamvis Lactantius l. IV. cap. VI. ſeg. 4. & lib. VII. cap. XVIII. ſeg. 3. Dialogum illum, de quo nota ſuperiori meminimus, appellet λόγος τέλειος cave tamen credas hunc eſſe titulum libri heic, ibidemque lau-

laudati; ſunt enim diverſi, & ille quidem ſub nomine Hermetis Triſmegiſti, hic autem ſub nomine Aſclepii circumferuntur, ut Diſſ. xl. oſtendimus; dicuntur tamen *perfecti*, quia integri ſunt ambo, & iſte ſecundus ad Aumonem regem ſcriptus eſt. Cl. Fabricium Bibl. Græca L. 1. cap. viii. non me latet in diverſam abiiſſe ſententiam, in quam & alios traxit; ſed in diſſert. noſtra xl. unde anſam erroris erripuerit, aperietur.

8.

Uterque vero[a], dæmones eſſe affirmat inimicos, & vexatores hominum: quos ideo Triſmegiſtus ἀγγέλους πονηροὺς[b] appellat: adeo non ignoravit, ex cælestibus depravatos terrenos eſſe cœpiſſe.

a *Uterque vero*. Scilicet Hermes Triſmegiſtus, & Aſclepius auditor ejus: unde confirmatur quod notis ſuperioribus obſervavi, & corrigendus eſt Bunem; qui unum, eumdemque *ſermonem perfectum* eſſe putavit a Lactantio laudatum, heic ſub nomine Aſclepii alibi vero ſub nomine Hermetis.

b Ἀγγέλους πονηρούς. Id eſt, *Angelos malignos* quæ verba in noſtro Bon. cod. nec Græce extant, nec Latine. In aliis vero vel utroque, vel alterutro leguntur modo.

CAP. XVII. AL. XVI.

1.

EOrum inventa ſunt [a] aſtrologia [b], & aruſpicina [c], & auguratio [d], & ipſa, que

a *Eorum inventa ſunt*. Schottus. *Eorum nequitia inventa ſunt, & aſtrologia &c.*

b *Aſtrologia*. Scilicet vana illa, & temeritatis plena, quæ hominum fata prædici poſſe, ex aſtrorum ſitu in genitura, ſeu hora natali illorum, certo judicio præſumit. Non autem ſcientia illa, quæ de ortu, motu, & occaſu ſyderum agit, & Aſtromia proprie dicitur, a qua magna vitæ commoda, ad temporum menſuram, ad navigationes, ad agriculturam &c. accomodata innumeris vallata eſt experimentis. Vide Tertullian. *Apolog.* c. xxxv. Cicer. *de Divinat.* Picum Mirandul. *de rerum prænot.* Salmaſ. *de Anno Climact.*

c *Et Aruſpicina*. Species nempe Aſtrologiæ judiciariæ, quæ ex victimarum extis eventus futuros prænoſcere docet, de qua Catonem dixiſſe teſtatur Tullius, ſe neſcire, quomodo Aruſpices a riſu temperare poſſent quum ſibi mutuo occurrebant. Grammaticorom nonnulli *Haruſpicinam* cum aſpiratione ſcribendam eſſe contendunt.

d *Et auguratio*. Aliud ex avibus divinationis genus, quod in triplicem dividebant ſpeciem, quarum prima ex volatu, alia ex cantu, tertia ex guſtatu de futuris divinare Augures docebantur.

quæ dicuntur oracula [e], & necromantia [f], & ars magica [g], & quicquid præterea malorum exercent homines vel palam, vel occulte: quæ omnia per ſe falſa ſunt, ut Sibylla Erythræa teſtatur [h].

Ἐτοὶ πλάνη πάντα τάδ' ἐςὶν,
Ὅσσα περ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι μετ' ἦμαρ.

---

e *Oracula*. Sæpe eam quæſtionem agitari audivimus, quidnam videlicet intelligi debet pro Ethnicorum Oraculis; aliqui enim Dæmonibus illa omnia tribuunt; alii vero Sacerdotum fraudibus adſcribunt: Ideoque de his egimus, ac de aliis hæic memoratis divinationis generibus Diſſ. XXVII.

f *Et Necromantia*. Per Manium evocationem hæc peſſima ars exerceri conſueverat. Vide Diſſert. laudatam.

g *Et Ars magica*. Quæ ſcilicet comprehendit quicquid ope Dæmonum fieri poſſe arbitrabantur. Vide ubi ſupra.

h *Quæ omnia per ſe falſa ſunt, ut Sibylla Erythræa teſtatur*. Carmina, quæ ſequuntur, abſunt a noſtro Ms. Bon. cod. ſed antiqua manus ad oram illius hanc latinam verſionem adjecit: *quia falſa ſunt omnia, quæ inſipientes homines cottidie nominantur*: pro *ominantur*. Al. *ſcrutantur*. Iſæus heic annotat: hoſce verſus in carminibus Sibyllinis non reperiri; falſus tamen eſt; nam ibidem leguntur l. 3. a v. 167. p. 363. edit. Gallæan. & apud Betul.

2.

Sed iidem ipſi autores præſentia ſua faciunt, ut vera eſſe credantur. Ita hominis

credulitatem [a] mentita divinitate deludunt, quod illis verum aperire non expedit.

a *Ita hominis credulitatem*. Al. *hominum*.

3.

Hi ſunt, qui pingere imagines, & ſimulachra fingere docuerunt [a], qui hominum mentes a cultu veri Dei averterunt [b], & fictos [c] mortuorum regum vultus, & ornatus [d], exquiſita pulchritudine ſtatui, conſecrarique fecerunt, & illorum ſibi nomina, quaſi perſonas aliquas induxerunt [e].

a *Hi ſunt, qui pingere imagines, & ſimulacra fingere docuerunt*. Al. *Tò pingere*. Al. *Tò fingere* non habent.

b *Qui hominum mentes a cultu veri Dei averterunt*. Sic etiam Aldus. Al. *ut a cultu veri Dei averterent*.

c *Et fictos*. Al. *effictos*.

d *Et ornatus*. Al. *ornatos*. Al. *odoratos*.

e *Quaſi perſonas aliquas, induxerunt*. Sic etiam Aldus. Al. *induerunt*: quod quidem ſæpe a Lactantio eſt uſurpatum. Heic tamen elegantiſſime nomen ſibi indueere Dæmones dicuntur, tamquam perſonas, ſeu formas ſupperadditas. Ovidius Metam. VII. fab. XXV. v. 18. ante ultimum, *& humanam membris inducere formam*.

4.

Sed eos magi, & hi [a], quos vere maleficos

a *Sed eos Magi, & hi, quos vere maleficos*. Inter

eos vulgus appellat, quum artes ſuas execrabiles exercent, veris ſuis nominibus cient, illis cœleſtibus [b], quæ in literis ſanctis leguntur.

ter Magos, & Maleficos hoc diſcrimen eſſe compertum eſt; quod Magus aliquando in bonam partem, Maleficus vero ſemper in pravam uſurpatur. Vide in cod. Juſtinian. Titul. de Maleficis XVIII. l. VIII. & IX.

b *Illis cæleſtibus*. Scilicet Angelorum nominibus. quæ ante eorum ruinam in Cælis habuiſſe credebantur,

5.

Hi porrò inceſti, ac vagi ſpiritus, obturbant [a] omnia, & errores humanis pectoribus offundunt [b], ferunt, ac miſcent falſa cum veris. Ipſi enim, cœleſtes multos finxerunt [c] eſſe, unumque regem [d] omnium Jovem, eo quod multi ſunt in cœlo ſpiritus

 an-

a *Obturbant*. Al. *ut turbent*. Cicer. ad act. XII. Epiſtol. XVII. *Me ſcriptio, & literæ non læniunt, ſed obturbant*.

b *Offundunt*. Bon. *obfundunt*. Al. *infundant*. Al. *ineffundunt*. Aldus nobiſcum legit.

c *Cæleſtes multos eſſe finxerunt*. Bon. *cæleſtis*. Al. *multos finxerunt eſſe*. Schottus *delenda*, inquit, in margine, præpoſita litera *F.* quæ *forte*, aut *fortaſſe* ſignificat, & conjecturam, non codicem indicat.

d *Vnumque Regem*. Al. *& unum Regem*. Sic etiam Aldus.

angelorum [e], & unus dominus, ac parens omnium Deus [f]: ſed veritatem mentitis nominibus involutam ex oculis abſtulerunt.

e *In Cælo Spiritus Angelorum*. Al. *Spiritus Angelorum in Cælo*.

f *Et unus Dominus, ac parens omnium Deus*. Al. *& unus parens, ac Dominus &c.*

6.

Nam Deus (ut in principio docui [a]) neque nomine, quum ſolus ſit, eget: neque angeli, quum ſint immortales, dici ſe deos [b] aut patiuntur, aut volunt; quorum unum, ſolumque officium eſt ſervire nutibus Dei [c], nec omnino quicquam, niſi juſſum ejus facere [d].

a (*Ut in principio docui*). Al. præpoſitione carent. Vide l. 1. cap. VI. ſeg. 4. ſeq. & cap. VII. ſeg. 5.

b *Dici ſe Deos*. Hæc abſunt a noſtro cod., quæ tamen ad ſenſum omnino neceſſaria ſunt, & iis reſpondent, quæ l. 1. cap. VII. ſeg. 5. leguntur.

c *Quorum unum ſolumque officium eſt ſervire nutibus Dei*. Jubet heic Gallæus hæc a nobis ſedulo obſervari, quaſi diverſa circa Sanctorum Angelorum cultum ab Eccleſia Catholica Romana docerentur, & Angelos, tamquam Deos, adoraremus. Vide Diſſ. XXXV.

d *Niſi juſſum facere*. Sic etiam Schottus, & Aldus. Al. *juſſu*. Al. *juſſu ejus*.

7.

Sic enim mundum regi a Deo dicimus, ut a rectore provinciam, cujus apparitores nemo ſocios eſſe in regenda provincia dixerit,

rit [a], quamvis illorum miniſterio res geratur [b].

a *Cujus apparitores, nemo ſocios eſſe in regenda provincia dixerit*: Bon. *cujus apparitores, immo ſocios... dixerim*. Omnino prave, & contra Lactantii mentem, ac veritatem; apparitores enim erant miniſtri, & familia armata Conſulum, Prætorum, Præſidum, aliorumque, qui a Senatu Romano ad regendas Provincias mittebantur: ſic appellati, quia his perpetuo apparere debebant, eorumque imperio præſto eſſe; unde etiam ſtatores dicebantur, & plerumque quilibet magiſtratus munus hocce ſuis libertis mandabat. Vide Tacit. l. XIII. Annal.

b *Res geratur*. Aldus *gerantur*.

8.

Et hi tamen [a] poſſunt aliquid præter juſſa rectoris, per ipſius ignorantiam, quæ eſt conditionis humanæ: ille autem Parens mundi [b], & rector univerſitatis [c], qui fecit omnia [d], cujus divinis oculis nihil ſeptum eſt,

a *Et hi tamen &c.* Corrodunt enim ſimplicium hominum, atque reorum quorundam crumenas, inſciis Dominis. At non ita quicquam facere poſſunt Dæmones, quod eis non permittat, aut non jubeat Deus, cui omnia patent, nec aliquid eſt, quod eſſe poſſit occultum.

b *Ille autem Parens Mundi*. Al. *præſes Mundi*.

c *Et rector univerſitatis*. Simili loquendi modo interdum uſus eſt Cicero. Al. *rector univerſi*. Aldus legit nobiſcum.

d *Qui fecit omnia*. Al. *qui ſcit*. Al. *quia ſcit*.

ſolus habet rerum omnium poteſtatem [e]: nec eſt angelis [f] quicquam, niſi parendi neceſſitas.

e *Solus habet rerum omnium poteſtatem*. Al. *cum filio poteſtatem*. Al. *cum filio ſuo*. Nobiſcum legit Aldus.

f *Nec eſt Angelis*. Al. *in Angelis*.

9.

Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt, quorum honor omnis [a] in Deo eſt. Illi autem, qui deſciverunt [b] a Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici, & prævaricatores, Dei nomen [c] ſibi, & cultum deorum vindicare conantur: non quod ullum honorem [d] deſi-

a *Quorum honor omnis*. Al. *omnis honor*. Al. *Tò omnis* non habent.

b *Qui deſciverunt a Dei miniſterio, quia ſunt &c.* Al. *deſierunt*. Al. cum Bon. *qui ſunt*.

c *Et prævaricatores, Dei nomen*. Al. hactenus interpunxerunt *prævaricatores Dei, nomen*: prave; nam *prævaricator* ille eſt, qui ab officii ſui præſcripto deflectit, & ſciens, & volens aberrat: juxta illud *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*. Pſal. CXVIII. v. 119. Martianus *ff. ad S.C. Turpilianum l. 1. Prævaricatorem eſſe eum oſtendimus*, ait, *qui colludit cum reo, & tranſlative munere accuſandi defungitur*. Ulpian. *in l. Athletas ff. de his, qui notantur* infamia. *Prævaricator autem*, inquit, *eſt quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua*. Cicer. Verr. 1. *Utrum te perfidioſum, ac prævaricatorem exiſtimari mavis?*

d *Non quod ullum honorem deſiderent*. Scilicet ita ut

ſiderent (quis enim honor perditis eſt ?) nec ut Deo noceant, cui noceri non poteſt, ſed hominibus[e], quos nituntur a cultu[f], & notitia veræ majeſtatis avertere, ne immortalitatem poſſint adipiſci[g], quam ipſi ſua nequitia perdiderunt.

ut etiam ſperent,ſe participationem divinæ gloriæ aliquando eſſe conſecuturos; ſciunt enim ſe æternum damnatos eſſe, ſed coli volunt, ut iis noceant, a quibus coluntur. Vide l.I. VIII. a ſeg.4. & l.II. XV. a ſeg. 8., ubi eadem fere dicuntur, ut oſtendimus Diſſ. XXVII.

e *Sed hominibus*. Al. *ſed ut homnibus*.

f *Quos nituntur a cultu*. Al. *a cultura*.

g *Ne immortalitatem poſſint adipiſci*. Bon. *poſſent*. Al. *adipiſci poſſint*. Intellige *vitam æternam*, ut ſæpe diximus.

10.

Offundunt itaque tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne dominum[a], ac patrem ſuum norint: & ut facile illiciant in templis ſe occulunt[b], & ſacrificiis omnibus præſto ſunt[c], eduntque ſæpe prodigia[d], quibus

a *Ne Dominum, ac patrem*. Al. *ne patrem*.

b *Et ut facile illiciant, in templis ſe occulunt*. Al. *& ut illiciant, facile in templis occultant &c.*

c *Præſto ſunt*. Al. *præſto adſunt*. Noſtra lectio viſa eſt Voſſio rectior, quia præcedit *Tò præſto*, quamvis exempla non deſint pro compoſito, ut bene heic obſervat Bunem.

d *Eduntque ſæpe prodigia*. An Dæmones prodigia vera poſſint edere? Vide Diſſ. XXVII.

bus obſtupefacti homines fidem commodent ſimulachris divinitatis, ac numinis.

11.

Inde eſt, quod ab Haruſpice [a] lapis novacula inciſus eſt, & quod Juno Vejenſis [b] migrare ſe Romam velle, reſpondit, quod Fortuna muliebris periculum denuntiavit, quod Claudiæ manum navis ſecuta eſt, quod in ſacrilegos & Juno nudata, & Locrenſis Proſerpina, & Ceres Mileſia vindicavit, & Hercules de Appio, & Jupiter de Atinio, Minerva de Cæſare. Hinc, quod ſerpens urbem Romam peſtilentia liberavit Epidauro accerſitus.

Nam

a *Inde eſt, quod ab Haruſpice &c.* Al. *ab Augure.* Incipit heic Lactantius reſpondere iis, quæ ſibi obiecerat cap. VIII. a ſeg. VIII., ubi Accium Nævium ſummum Augurem dixerat. Verum quidem eſt Augurum, & Haruſpicum officia diſtincta fuiſſe, ut ad principium hujus capitis annotavimus, & Diſſ. XXVII. docuimus; non tamen heic ſibi contradixiſſe Lactantius dicendus eſt; nam nulla repugnantia in eo eſſe videtur, quod idem Accius Nævius Haruſpex fuerit, & Augur. Immo Haruſpices Augures eſſe debebant ſi Servio credimus, qui Haruſpicis nomen ab Hara deducit, quæ avis eſt auguralis. Vide Sypontin. v. Haruſpex col. 13. 39.

b *Juno Vejenſis.* Schottus *Vejens.*

12.

Nam illuc Dæmoniarchen [a] ipſe in figura ſua ſine diſſimulatione perlatus [b] eſt: ſiquidem legati ad eam rem miſſi, draconem ſecum miræ magnitudinis attulerunt [c].

a *Nam illuc Dæmoniarchen*. Al. *δαιμονιάρχης* Bon. *demonia* .... *che* pene abraſum verbum reſtituimus ex cap. XV. ſeg. 5.

b *Sine ulla diſſimulatione perlatus*. Sic etiam Aldus. Al. *perductus*: Optime Firmianus heic obſervat, Diabolum ſine ulla diſſimulatione in figura ſua Epidauro Romam fuiſſe delatum, quia ſub eadem Serpentis forma protoparentibus noſtris in Paradiſo Terreſtri illuſerat. Geneſ. III., & Draconis nomine ſæpe in ſcripturis Sanctis appellatur. Vide, quæ ſupra diximus ad cap. VIII. 13.

c *Attulerunt*. Al. *advexerunt*.

13.

In oraculis autem vel maxime fallunt, quorum præſtigias profani a veritate intelligere non poſſunt, ideoque ab ipſis [a] attribui putant & imperia, & victorias, & opes, eventus proſperos rerum, denique horum nutu [b] ſæpe Rempublicam periculis imminentibus liberatam, quæ pericula & reſponſis denuntiaverint [c], & ſacrificiis placati, averterint. Sed omnia iſta fallaciæ ſunt.

Nam

a *Ideoque ab ipſis*. Al. *ab illis*.

b *Horum nutu*. Al. *ipſorum*.

c *Denunciaverint* .... *averterint*. Al. *denunciaverunt* ... *averterunt*.

14.

Nam quum diſpoſitiones Dei [a] præſentiant, quippe qui miniſtri ejus fuerunt: interponunt ſe in his rebus, ut quæcunque a Deo facta ſunt [b], vel fiunt, ipſi potiſſimum facere, aut feciſſe videantur, & quoties alicui populo, vel urbi ſecundum Dei ſtatutum [c], boni quid impendet: illi ſe id facturos vel prodigiis, vel ſomniis, vel oraculis pollicentur, ſi ſibi templa, ſi honores, ſi ſacrificia tribuantur: quibus datis, quum illud acciderit, quod neceſſe eſt, ſummam ſibi pariunt venerationem.

Hinc

---

a *Nam quum diſpoſitiones Dei*. L. I. cap. 1. ſeg. 5. l. IV. c. X. ſeg. 1. & 2. *diſpoſitionis* vocabulo pro eo quod *decretum* dicitur, uſurpavit Lactantius, idque ex Sypontino adverſus Eraſmum, tamquam Latinum vindicavimus. Adde Capitol. *in Gordiano*: Sidonium *L.* III. *Epiſt.* VI., *& alibi*. *Notitiam utriuſque Imperii*: Vegetium de re milit. l. III. 26. Eumenium in Paneg. *pro Reſtaur. Schol. cap.* 5. Et vet. Rom. Inſcript. in qua legitur apud Stephan. QUAE FORMA INTERDICTI ET DISPOSITIONIS SUB GLADII PERICULO CUSTODIENDA MANDATUR.

b *A Deo facta ſunt*. Al. *a Deo vel facta*.

c *Secundum Dei ſtatutum*. Hæc in noſtro Bon. codice depravata ſunt ita, ut ſolummodo legi poſſint hæc verba ... *ue ſtatu boni*, *quod impendet*: unde etiam alii pro *ſtatutum ſtatum* legunt. Lact. l. I. c. XI. ſeg. 14. *Legibus*, *ac ſtatutis parere &c.*

15.

Hinc templa devoventur, & novæ imagines conſecrantur, mactantur greges hoſtiarum [a]. Sed quum hæc facta erunt [b], nihilominus tamen & vita, & ſalus eorum, qui hæc fecerint, immolantur.

a *Novæ imagines conſecrantur, mactantur greges hoſtiarum; ſed quum .... immolantur*. Heum: *lego*, inquit, *conſecrantur, & greges hoſtiarum immolantur. Cætera verba gloſſema ſunt, nec tenere poſſunt hunc locum*; quem tamen apud omnes obtineret, nec ratio ulla eſt, qua deturbentur; quum veriſſimum ſit, Ethnicos non ſolum victimas, ſed etiam animas ſuas cum illis Diabolo immolaſſe. Vide l. v. xx. & xxi. ſeg. 1.

b *Sed quum hæc facta erunt*. Al. *facta ſunt*.

16.

Quotiens autem [a] pericula impendent, ob aliquam ſe ineptam, & levem cauſſam profitentur iratos, ſicut Juno Varroni, quod formoſum puerum in Tenſa Jovis [b] ad exuvias te-

a *Quotiens autem*. Sic ſemper, ut ſupra notavimus.

b *Sicut Juno Varroni, quod formoſum puerum in Tenſa Jovis*. Bon. *ſicut Varroni, quod formonſum &c.* Aldus, & Al. pro *Tenſa Jovis*: *Templo Jovis* legunt. Al. *famoſum puerum* pro *formoſum*. Valer. Max. l. 1. cap. 11. hanc hiſtoriam hiſce verbis narrat. *Creditum eſt, Varronem Conſulem apud cannas cum Carthaginenſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Juno-*

tenendas [c] collocaret: & ob hanc cauſſam Romanum nomen apud Cannas [d] pene deletum eſt.

---

nonis: quod quum ludos Circenſes Ædilis faceret, in Jovis O. M. templo, eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet &c. Videant ergo eruditi viri an ex hac hiſtoria legendum ſit: *in Templo Jovis ad excubias tenendas collocaverat*. Iſæus, Cuperus, Cellarius, Bunem: erudite quidem hunc locum illuſtrant, *ut tenſam*, & *Exuvias* retineant, quibus tamen addendum eſt, Tenſas ipſas aliquando in formam templorum compactas fuiſſe, ut ſuo loco dicemus.

c *Ad exuvias tenendas*. Sic etiam Aldus. Al. *excubias*. Al. *exſubias*. Sæpe antiqui *V.* in *B.* commutabant, & hinc facile voces promiſcue variant in Mss. Obſerva tamen, quod *tenere exuvias in tenſis*, illiſque pompam augere, cum ritibus Ethnicorum optime congruit: at *tenere excubias*, pro eo quod eſt *habere excubias*, *excubari*, ſeu *ad rerum cuſtodiam vigilare* numquam apud Latinos me legiſſe memini, quod etiam obſervaverat Iſæus.

d *Apud Cannas*. Oppidum fuit in Apulia, cujus hodiedum rudera viſuntur. Circa id commiſſo Romanos inter, & Carthaginenſes prælio, memoranda clade afficiuntur Romani, quorum cæſi ccccv. millia una cum Coſ. Paullo, Senatoribus LXXX. Conſularibus, prætoriis, ac Edilitiis XXX. Vide Livium Decad. III. l. II. cap. XXVI.

17.

Quod ſi Juno alterum Ganymedem [a] vereba-

---

a *Quod ſi Juno alterum Ganymedem verebatur*. Ju-

batur: cur juventus Romana luit pænas? Vel ſi dii tantummodo duces curant, cæteram multitudinem negligunt: cur Varro ſolus evaſit, qui hoc fecit,[b] & Paullus, qui nihil meruit, occiſus eſt? Videlicet nil tunc Romanis accidit[c]

Fatis Junonis iniquæ,

quum Annibal duos exercitus populi Romani & actu, & virtute confecit.

Juno ſoror, & uxor Jovis Zelotypiæ cauſſa, ira dicitur flagraſſe, quum vidiſſet puerum formoſum intenſa Jovis: quaſi novum Ganymedem illi oblatum. Vide, quæ de eo diximus ad lib. 1. cap. x. ſeg. 12.

b *Cur Varro ſolus evaſit, qui hoc fecit, & Paullus, qui nihil meruit, occiſus eſt?* Terentius Varro is eſt, qui contradicente Paullo collega, eoque inconſulto, ſignum pugnæ propoſuit, ex qua illo moriente, ipſe fugiens, vix quinquaginta milites ſecum ducens Canuſium pervenit. Vide Livium ubi ſupra.

c *Nil tunc Romanis accidit:* FATIS JUNONIS INIQUÆ Virgilius 1. æn. v. 668., & VIII. v. 292., & etiam aliquando Ovidius in Her., ac in Metam. iniquæ epitheton Junoni tribuunt, utpote quæ favere videbatur Africanis adverſus Romanos pugnantibus, qui a Trojanis, ſibi inviſis originem ducebant. Id per Ironiam nunc repetit Lactantius, ut penitus det egat Dæmonum fallacias.

18.

Nam Juno audere non poterat aut Carthaginem defendere, ubi arma ejus, & currus fuit, aut Romanis nocere, quia progeniem *Tro-*

. . . Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

19.

Sed illorum ſunt iſti luſus, qui ſub nominibus mortuorum deliteſcentes, viventibus plagas tendunt. Itaque ſive illud periculum, quod imminet, vitari poteſt, videri nolunt, id placati avertiſſe: ſive non poteſt, id agunt, ut propter illorum contemptum accidiſſe videatur; Ita ſibi apud homines [a], qui eos neſciunt, autoritatem, ac timorem pariunt.

---

a *Ita ſibi apud homines*. Sic etiam mldus. Al. *itaque ſibi &c.*

20.

Hac verſutia, & his artibus notitiam veri, ac ſingularis Dei [a] apud omnes gentes inveteraverunt [b]. Suis enim vitiis perditi, ſæviunt, & graſſantur [c], ut perdant.

---

a *Singularis Dei*. Sic etiam l. I. c. VIII. ſeg. 4.

b *Inveteraverunt*. Al. *inverterunt*: male; nam *inveterare*, ſeu *inveteraſcere* pro *delere*, & *extinguere* paſſim uſurpatur.

c *Graſſantur*. Sic omnino ſcribendum, non *craſſantur* ut habent cod. Bon., & alii nonnulli, *craſſo* enim idem valet ac *craſſum facio*, ut habet Apulejus in Aſino.

21.

Iccirco etiam humanas hoſtias excogitave-

verunt, ipſi hoſtes humani generis, ut quammultas devorarent animas.

CAP. XVIII. AL. XVII.

1.

DIcet aliquis: *Cur ergo Deus hæc fieri patitur* [a], *nec tam malis ſuccurrit erroribus?* Ut mala cum bonis pugnent, ut vitia ſint adverſa virtutibus, ut habeat alios, quos puniat, alios, quos honoret. Ultimis enim temporibus ſtatuit de vivis, ac mortuis judicare: de quo judicio mihi erit in ultimo libro diſputatio.

a *Cur ergo Deus hæc fieri patitur*. Antiqua diffidentium, atque incredulorum querela, quam tamen nemo adverſus ſe ipſum torqueri vellet quum peccatum perpetraverit. Vide Diſſ. xxix. §.x. ſeq. ubi Lactantii rationes expenduntur.

2.

Differt ergo, donec veniat temporum finis, quo effundat iram ſuam in poteſtate, ac virtute cœleſti, ſicut:

... Vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant [a].

 Nunc

a ...... *Sicuti vatum prædicta priorum*
Terribili monitu horrificant &c.
Aptiſſima ſunt hæc Virgilii hemiſtichia ad id explicandum, de quo heic agit Lactantius, & jampridem notaverat

rat Iſæus, qui & diverſo charactere, & marginali animadverſione indicaverat unde erant deſumpta. Perperam ergo Kresbius, & Walchius verbum *horrificant* ut ſingulare, & poeticum Lactantio affingunt. Al. legunt: *vatum prædicta Piorum*, & re vera ſic ſcriptum invenio in antiquioribus Virgilii codicibus Medic. Vaticano, & Pieriano; ſervavi tamen heic lectionem noſtri Bonon. codicis, quia Mss., & editi quamplurimi libri ita conſtanter legunt, & Fabricio teſte in præfat. ad l. v. *p.* 11. *Bibl. Græcæ*, Author antiquus carminis *de Sagrificio Miſſæ*, hunc dicendi modum retinuit, quem ipſe contra opinionem Heumanni jure vindicavit.

3.

Nunc autem patitur, homines errare, & adverſum ſe quoque impios eſſe, ipſe juſtus, & mitis, & patiens. Nec enim fieri poteſt, ut non Is, in quo perfecta ſit virtus, ſit etiam perfecta patientia.

4.

Unde quidam putant, ne iraſci quidem Deum omnino [a], quod affectibus, qui ſunt perturbationes animi, ſubjectus non ſit [b]: quia

a *Putant ne iraſci quidem Deum omnino.* Vide ad. L. *de Ira Dei* cap. XVI., & ſeq. & Diſſ. XXXIII.

b *Quia affectibus, qui ſunt perturbationes animi, ſubjectus non ſit.* Al. *quod affectibus &c.* Obſerva, iram in Deo non paſſionem eſſe, ſed voluntatem eos puniendi, qui poſſunt, & nolunt ſuis obtemperare præ-

quia fragile eſt omne animal, quod afficitur, & commovetur. Quæ perſuaſio veritatem, ac religionem funditus tollit [c].

præceptis, ut ex Lactantio locis ſuperius indicatis docuimus. Nota etiam Lactantii noſtri accuratam loquendi rationem, quum eos affectus Deo denegat, qui ſunt animi perturbationes, non autem, qui perturbatione carent, & vitio.

c *Veritatem, ac religionem funditus tollit*. Al. *atque religionem &c* In Epicureis, Atheiſque affinibus hoc manifeſtiſſime deprehendimus Diſſ. XXXI.

5.

Sed ſeponatur interim nobis hic locus [a] de ira Dei differendi, quod & uberior eſt materia [b], & opere proprio latius exequenda [c]. Illos ergo nequiſſimos ſpiritus quiſquis veneratus fuerit, ac ſecutus, nec cœlo, nec luce potietur, quæ ſunt Dei: ſed in illa decidet, quæ in diſtributione rerum attributa eſſe ipſi malorum principi diſputavimus [d], in te-

a *Sed ſeponatur interim nobis hic locus*. Al. *locus hic nobis*.

b *De ira Dei differendi, quod & uberior eſt materia &c.* Hæc in Bon. cod. depravata ſunt, & ex aliis omnibus a nobis reſtituta.

c *Latius exequenda*. Scilicet in libro *de Ira Dei*, quem jam tunc edendum conſtituerat Firmianus.

d *Diſputavimus*. Vide in hocce II. lib. cap. IX. a ſeg. 4. ſeq.

tenebras, & inferos [e], & in ſupplicium ſempiternum.

e *In tenebras, & inferos*. Al. *in tenebras ſcilicet, & inferos*.

6.

Docui, religiones deorum triplici modo vanas eſſe: Uno [a] quod ſimulachra iſta quæ coluntur, effigies ſint hominum mortuorum: eſſe autem perverſum [b], & incongruens, ut ſimulachrum hominis a ſimulachro Dei colatur: colit enim quod eſt deterius, & imbecillius [c].

Tum

a *Triplici modo vanas eſſe*; *Uno*, ſic etiam Aldus Al. *triplici ratione v. e. Una*: Infra: *Altero*: *tertio*; Item etiam Cicer. L. I. *de divinat.* c. xxx. ſic legit etiam Schottus; Vide infra ſeg. 8. 10. & xx.

b *Eſſe autem perverſum*. Subaudi *docui*: Al. *eſt autem* ſic etiam Aldus.

c *Colit enim quod eſt deterius, & imbecillius*: Al. *colet*: En prima ratio, quare ſimulachra falſorum Numinum colenda non ſunt cultu religioſo; & adverſus Ethnicos vim habet efficaciſſimam, utpote qui, ut ſupra vidimus, in ipſis ſimulacris virtutem ineſſe putabant ſibi ſuperiorem, quod manifeſte falſum eſt. At contra Catholicos non militat quidem, quum imagines ſecundũ Prototyporum merita, & ratione excellentiæ, & gloriæ illorum veneremur, quemadmodum ſuis locis, ac diſſ. xxxii. & xxxv. docuimus contra Gallæi calumnias, qui heic iterum nos idilolatras appellat.

7.

Tum inexpiabile facinus eſſe, deſerere viventem, ut defunctorum monumentis ſervias [a], qui nec vitam, nec lucem dare cuiquam poſſunt, qua ipſi carent: nec eſſe alium quenquam Deum, præter unum, cujus judicio, ac poteſtati omnis anima ſubjecta ſit.

---

a *Deſerere viventem, ut defunctorum monumentis ſervias*: Al. *monimentis*: Intellige Idola, Statuas, Sepulchra, Titulos, Fana, & cætera hujuſmodi, quæ mortuorum hominum memoriam excitent; nam ſi hæc talia ſint, ut veneratio illorum cum omnipotentis Dei cultu, & religione componi non poſſit, & ab eo avertant potius, quam ad ipſum, veluti manu quodammodo ducat, inexpiabile quidem idololatriæ facinus eſt in eo ad mortem uſque perſeverare. Nulla enim vera ſalutis æternæ ſpes in eo eſſe poteſt, qui mortuorum hominum monumentum quodcumque contra Dei, & Eccleſiæ Catholicæ præcepta, tamquam numen, aut adoret, aut colat, niſi prius reſipiſcat, & veniam a Deo commiſſi criminis impetret, & recipiat.

8.

Altero [a], quod ipſæ imagines ſacræ, quibus

---

a *Altero*: ſubaudi *modo*: ſic etiam Aldus. Confirmatur etiam non ſolum ex hoc noſtra lectio, ſed etiam ex eo, quod ſub primo hactenus recenſito modo, non unicam; ſed dupplicem rationem reddidit author, ut oſtenderet religiones Deorum falſas eſſe.

bus vaniſſimi homines ſerviunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſint [b].

b *Quod ipſæ imagines ſacræ, quibus homines inaniſſimi ſerviunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſint*: Verba hæc gravi ſunt expendenda judicio; quamquam enim heic de Idolis Ethnicorum loqui videatur Lactantius, ſacras tamen quum appellet imagines, jam de iis intelligi poteſt, quæ tunc, ut ſacræ etiam a Catholicis habebantur, puta Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum Sanctorum, aliorumque in Beatorum albo conſcriptorum, non ut eas, ſed ut earundem abuſus reprobaret. Non enim credendum eſt, ineſſe aliquam in his divinitatem, vel virtutem, propter quam colendæ ſint: vel quod ab eis ſit aliquod petendum, vel quod fiducia in illis figenda ſit, ſicuti olim ab hæreticis quibuſdam fiebat, qui in amuletis, ac taliſmanibus ſpem ſuam collocabant; ſed quemadmodum honos omnis, qui eis exhibetur referri debet ad prototypa, quæ illa repreſentant, ita ad eorundem pototyporum orationes, opem, auxiliumque confugere debemus ad beneficia a Deo impetranda per filium ejus Jeſum Chriſtum, qui ſolus redemptor, & ſervator noſter eſt. Vide Diſſ. XXVII. XXXIII. & XXXV., in quibus de his omnibus luculenter egimus in illorum gratiam potiſſimum, qui in articulum fidei circa imaginum Sacrarum cultum, tamquam in arenam, & in ſcopulos impingentes, viam ſibi veritatis, ac ſalutis æternæ vanis perſuaſionibus impediunt.

9.

Qui autem non intelligat, nefas eſſe, rectum animal curvari, ut adoret terram? quæ ic-

icc irco [a] pedibus noſtris ſubjecta eſt, ut calcanda nobis, non adoranda ſit: qui ſumus ideo excitati, ex ea, ſtatumque ſublimem præter cæteras animantes accepimus [b], ut non revolvamur deorſum: nec hunc cæleſtem vultum [c] projiciamus ad terram, ſed oculos eo dirigamus, quo illos naturæ ſuæ conditio direxit, nihilque aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolius artificis, parentiſque noſtri unicum numen [d], qui propterea hominem rigidum figuravit, ut ſciamus nos ad ſuperna, & cœleſtia provocari.

a *Quæ icc irco*. Bon. *neque idcirco* prave.

b *Qui ſumus ideo excitati ex ea, ſtatumque ſublimem præter cæteras animantes accepimus*. Al. *excitati ex eaque ſtatum &c*. Bon. *acceperimus*. Al. *excitati, & ex eo*. Nobiſcum legit etiam Aldus.

c *Nec hunc cæleſtem vultum*. Al. *ne hunc cæleſtem cultum*. Aldus: *ne hunc &c.*

d *Niſi ſolius artificis; parentiſque noſtri unicum numen*. Al. *niſi ſolum .... unicum nomen*, quod ultimum verbum habent etiam Aldus, & codex noſter Bonon:, cujus tamen error ex addito manifeſte eruitur.

10.

Tertio, quod ſpiritus, qui præſunt ipſis religionibus, condemnati, & abjecti a Deo [a], per

a *Quod Spiritus, qui præſunt, ipſis religionibus condemnati, & abjecti a Deo*. Aldus *qui præſit*. Ergo, qui fideles Deo in bono perſeveraverunt per Lactantium colendi ſunt, utpote qui in Cælis Divinæ

per terram volutentur, qui non tantum nihil præſtare cultoribus ſuis poſſunt, quoniam rerum poteſtas penes unum eſt, verum etiam mortiferis eos illicebris, & erroribus perdunt, quoniam hoc illis quotidianum eſt opus, tenebras hominibus obducere [b], ne quæratur ab his [c] verus Deus.

næ adſunt Majeſtati, nobis opitulantur, nos protegunt, regunt, gubernant, atque defendunt, ſic jubente Domino, qui *eis mandavit de nobis*. Contrariorum enim eadem eſt ratio.

b *Tenebras hominibus obducere*. Al. *tenebris homines obducere*.

c *Ne quæratur ab his*. Al. *nec quæratur ab illis*.

11.

Non igitur colendi ſunt, quoniam ſententiæ Dei ſubjacent. [a] Eſt enim piaculum maximum, addicere ſe poteſtati eorum [b], quibus,

a *Quoniam ſententiæ Dei ſubjacent*. Al. *quia ſententiæ* &c.

b *Addicere ſe poteſtati eorum*. Idem ac ſe mancipare, & plene devovere, & dedere ex Nonnio. Cicero in Salluſt. 11. *Non enim uni privatim ancillatus ſum, neque me addixi*. Item pro Flacco: *addictus Hermippo* adde Horat. 1. Epiſt. 1. 14. *Nullius addictus jurare in verba magiſtri. &c.* Ideoque non audiendus Betulejus qui heic ait: Uſurpat verbum Jureconſultorum, ſicuti paullo inferius verbum *mancipandi*: nam addicti dicebantur obærati, & nexi, qui ob æs alienum creditoribus in temporariam ſervitutem tradebantur.

bus, ſi juſtitiam ſequare, potentior eſſe poſſis, & eos adjuratione divini nominis expellere [c], ac fugare.

c *Et eos adjuratione divini nominis expellere &c.* Vide ſupra cap. XVI. ſeg. 2.

12.

Quod ſi apparet, religiones iſtas tot modis [a] eſſe vanas, quibus docui: manifeſtum eſt, eos, qui vel mortuis ſupplicant, vel terram venerantur, vel ſpiritibus immundis [b] animas ſuas mancipant [c], rationem hominum non tenere: eoſque impietatis, ac ſceleris ſui ſupplicia penſuros [d], qui rebelles adverſus parentem generis hnmani Deum, ſuſceptis inexpiabilibus ſacris fas omne violaverint [e].

CAP.

a *Tot modis*. Confirmatur iterum lectio noſtra, quam retinuimus ſeg. 6.
b *Vel Spiritibus immundis*. Al. *impuris*.
c *Mancipant*. Aldus *mancipatas*.
d *Supplicia penſuros*. Al. *paſſuros*. Al. *poſituros*.
e *Violaverint*. Al. *violarunt*. Al. *violarint*. Ineſpiabilia ſacra hæc dicuntur, quia ſi ab his homo non recedat, peccata ſua nullo modo poſſunt expiari.

CAP. XIX. AL. XVIII.

1.

QUicunque igitur ſacramentum hominis [a] tueri rationemque naturæ ſuæ [b] nititur obtinere: ipſe ſe ab humo [c] ſuſcitet, & erecta mente oculos ſuos tendat in cœlum, non ſub pedibus Deum quærat [d], nec a veſtigiis ſuis eruat, quod adoret (quia quicquid homini ſubjacet, infra hominem ſit, neceſſe eſt): ſed quærat in ſublimi, quæ-

---

a *Sacramentum hominis*. Sacramenti vocabulum multifariam uſurpari poſſe notiſſimum eſt: heic tamen a Lactantio ſumptum dicit Walchius pro vera hominis natura, & conditione, ut l. II. cap. xv. & l. I. cap. xIx. Langletius autem pro Myſterio, ſive pro recondita ſignificatione. Mihi autem *tueri Sacramentum hominis*: idem eſt, ac ſervare dignitatem illam, qua donati a Deo fuimus, quum ad imaginem ſuam nos finxit, quam, per peccatum in nobis deturpatam, virtus Dei per Sacramenta novæ legis, Baptiſmum ſcilicet, & Pœnitentiam potiſſimum, quotidie reformat, & perficit, ut tandem *conformes fieri* mereamur *imaginis filii ſui*, ut habetur ex Apoſtol. ad Rom. VIII. v. 29.

b *Rationemque naturæ ſuæ*: *Tò naturæ* abeſt a noſtro Bon. cod. Aldus *ſuæ vitæ*.

c *Ipſe ſe ab humo*. Al. *Tò ſe* non habent.

d *Deum quærat*. Al. *quærat Deum*.

quærat in ſummo[e]: quia nihil poteſt homine melius [f] eſſe, niſi quod fuerit ſupra hominem. Deus autem ſi major eſt homine[g], ſupra ergo, non infra eſt: nec in ima potius, ſed in ſumma [h] regione quærendus eſt.

e *Sed quærat in ſublimi, quærat in ſummo.* Al. *ſed quærat in ſummo: quia.*

f *Eſſe homine melius.* Al: *homine majus eſſe.*

g *Deus autem ſi major eſt homine.* Al. *Tò ſi* non habent.

h *Nec in ima potius, ſed in ſumma.* Al. *ima, ſed potius.*

2.

Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubicunque ſimulachrum eſt[a]. Nam ſi religio ex divinis rebus eſt, divini autem nihil eſt niſi in rebus cæleſtibus: carent ergo religione ſimulachra: quia nihil poteſt eſſe cæleſte in ea re[b], quæ fit ex terra[c]. Quod quidem de nomine ipſo apparere ſapienti poteſt[d].

a *Quin religio nulla ſit ubicumque ſimulachrum eſt.* Scilicet: ubi nullus alius Deus colitur præter nudum ſimulacrum, in quo Deus eſſe cenſetur. Hoc enim eſt conſequens, quod a præmiſſis deducitur, quodque magis explicant, quæ mox afferuntur.

b *In ea re.* Al *in Aere.*

c *Quæ fit.* Al. *quæ ſit.* Al. *fuit.* Al. *quod ſit.*

d *Quod quidem de nomine ipſo Sapienti apparere poteſt.* Hæc verba deſunt in noſtro cod. & ideo omiſſa fuerunt a Thomaſſio; in aliis vero omnibus leguntur, & excidiſſe vitio amanuenſis dignoſcitur ex eo, quod *Tò apparere* ſcriptum eſt pro *carent* linea ſuperiori.

At

At etiam ab Aldo deleta ſunt. Notandum heic occurrit, quod totam hanc argumentationem *pudendis paralogiſmis* ſcatentem, temere exiſtimavit Jacob. Brucker. Hiſt. Cr. Philoſ. Period. II. Part. II. l. I. cap. II. p. 351. Adverſus quem egimus Diſſ. XXIII. cap. I. §. VI ſeq.

§. 3.

Quicquid enim ſimulatur, id falſum ſit, neceſſe eſt, [a] nec poteſt unquam veri nomen accipere, quod veritatem facie, & imitatione [b] mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potiſſimum ſeria, ſed quaſi ludus, ac jocus eſt: non religio in ſimulachris, ſed mimus religionis [c] eſt.

a *Quicquid enim ſimulatur, id falſum eſſe neceſſe eſt*: *ſimulo* quippe verbum eſt, quo fingere, & falſum pro vero tradere ſignificatur; & a *ſimulo ſimulacrum* fit; Iccirco idem Lact. cap. II. hujuſce libri ſeg. 16. ineptum vocat, qui putat aliquid eſſe in ſimulacro, in quo ne hominis quidem quicquam eſt præter umbram.

b *Quod veritatem facie, & imitatione*. Al. *veritatem fuco*, & ſic etiam Aldus &c. Hinc noſcere poterat Gallæus, de quibus imaginibus hactenus loqueretur Lactantius, qui heic tamquam ad ſummam refert quicquid in ſuperioribus dixerat. Nimirum, Religionem veram eſſe non poſſe ubi verum numen non colitur; verum numen autem quilibet illud non eſſe noſcit, *quod facie, & imitatione Deus eſſe mentitur*. Quid tale in noſtris invenitur imaginibus? Nihil profecto ſi recte tandem velint proteſtantes judicare.

c *Sed mimus religionis*. Al. *ſed minus*: prave; nam conſone ad ſuperiora *mimum religionis* heic Lactan-

ctantius appellat ridiculam ſimul, ac obſcænam religionis imitationem, quam in ſimulachris Deorum, Diabolus induxit, ut qui Deo ſimilis in Cælo eſſe non potuit, in terris ſaltem, ſimiarum more, opera ederet, quibus a pravis, ſtultiſque hominibus, tamquam Deus coleretur. Quæ certe magis atque magis dicta a nobis ſuperiori nota, & toto hocce libro declarant, & pravam ſectariorum expoſitionem explodunt,

4.

Præferendum eſt igitur falſis omnibus verum [a]: calcanda terrena, ut cœleſtia conſequamur.

a *Falſis omnibus verum*. Al. *verum omnibus falſis*.

5.

Ita enim ſe res habet [a], ut quiſquis animam ſuam, cujus origo de cœlo eſt [b], ad inferna, & ima proſtraverit, eo cadat, quo ſe ipſe dejecerit: ideoque oportet rationis, ac ſtatus ſui memorem, non niſi ad ſuperna niti ſemper, ac tendere.

a *Ita enim ſe res habet*. Al. *res ſe habet*.
b *De Cælo eſt*. Scilicet a Deo, qui in Cælis ſingulari quodam modo eſſe dicitur, ut ſupra expoſuimus cap. hujus lib. XIII. ſeg. 3.

6.

Quod qui fecerit, hic plane ſapiens, hic juſtus, hic homo, hic denique cœlo [a], dignus

a *Hic denique Cælo*. Al. addunt *ideoque*. Al. *utique*. Aldus legit nobiſcum.

gnus judicabitur: quem ſuus parens non humilem, nec ad terram, more quadrupedis [b] abjectum, ſed ſtantem potius, ac rectum, ſicut eum fecit [c], agnoverit.

---

b *More quadrupedis*. Al. *quadrupedum*.
c *Sicut eum fecit*. Bon. *fecerit* male.

CAP. XX. AL. XIX.

1.

PEracta eſt (niſi fallor [a]) magna, & difficilis ſuſcepti operis portio: & majeſtate cæleſti ſuggerente nobis dicendi facultatem, inveteratos depulimus errores.

---

a *Peracta eſt, niſi fallor*. Al. *peracta eſt igitur, ni fallor*.

2.

Nunc vero major, ac difficilior [a] cum philoſophis propoſita luctatio eſt: quorum ſumma doctrina & eloquentia, quaſi moles [b] aliqua mihi opponitur.

Nam

---

a *Magna, ac difficilis*. Al. *major nobis, ac &c.*
b *Quaſi moles*. Bon. *quales moles*: prave. Gallæus ob difficultatem hoc dictum eſſe putat, ut apud Virgilium.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem

At Bunem: obverſatus eſt, inquit, ei Cicero in Verrem l. v. Orat. x. c. 1. *Quaſi murus quidam, boni nomen, opponitur*. Scite, & ſapienter.

3.

Nam ut illic multitudine, ac pene [a] conſenſu omnium gentium veritas premebatur [b], ita hic authoritate præſtantium omni genere laudis virorum.

a *Nam ut illic multitudine, ac pene.* Bon. tertiam, & quartam ex iis vocibus, punctis quibusdam diſtinxit, ſed non video qua ratione id factum ſit, quum omnes ita legant. Al. pro *ac pene* habent *ac fere*. Al. *ac prope*.

b *Veritas præmebatur*. Bon. *Tò veritas* non habet, ſed *Tò præmebatur* punctis diſtinxit. Al. *præmebamur*. Lego cum Tomaſſio, Schotto, ac VII. Vaticanis, pluribuſque aliis ab Heum., & Bunem. Laudatis.

4.

Quis autem neſciat, plus eſſe momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis?

5.

Sed non eſt deſperandum, iſtos quoque de ſententia, Deo, ac veritate ducibus, poſſe depelli: nec tam pertinaces fore arbitror, ut clariſſimum ſolem ſanis, ac patentibus oculis videre ſe negent.

6.

Modo illud verum ſit, quod ipſi ſolent profiteri [a], ſtudio inveſtigandæ veritatis ſe te-

a *Quod ipſi ſolent profiteri*. Hocce ultimum verbum punctis pariter eſt inſignitum.

teneri: efficiam profecto, ut quæſitam veritatem diu, & aliquando inventam eſſe credant, & humanis ingeniis inveniri non poſſe [b], fateantur.


---

b *Humanis ingeniis inveniri non poſſe*. Al. *non potuiſſe*.

L. Cæli Firmiiani Lactanti, de Origine Erroris liber ſecundus explicit. *Sic in antiquiſſimo Bononienſi codice*.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

F I N I S.



4 — 3 - 4